DE DIEBUS
CONTIONUM ORDINARIARUM
APUD ATHENIENSES.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ADAM REUSCH

NASSOVIUS.

ARGENTORATI.

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXIX.

42

RUDOLFO SCHOELLIO

MODERATORI

STUDIORUM SUORUM

D.

AUCTOR

De contionum ordinariarum apud Athenienses diebus egerunt:

I. I. Scaliger: De emendatione temporum. Paris. 1583 (Col. Allobr. 1629).

D. Petavius: Doctrina temporum. Lut. 1627; ed. Harduin Veronae 1734.

S. Petitus: De anno Attico (in operibus eius miscellaneis).

G. F. Schoemann: De comitiis Atheniensium (Gryphisw. 1819).

Atque Schoemannus cum optime meritus sit de „statis comitiorum diebus“ (cap. II) explorandis, idem et multa vitiosa protulit, quia usus est falsis illis documentis, quae leguntur in Demothenis oratione de corona, et verum intellegere tum temporis non potuit, quia nondum prodierat copia illa titulorum, quae nunc ab Ulrico Koehlero collecta exstat in corporis inscriptionum Atticarum volumine altero. Quibus subsidiis uberrimis usus rem denuo tractandam suscepi.

Cap. I.

Decreta senatus et populi Atheniensium collecta in CIA II 1, quorum praescripta praeter temporum notas insignia sunt additamento ἐκκλησία κυρία, haec sunt.

A. Notatio κυρία vel clare legitur vel ex vestigiis reliquiisve litterarum certo restituitur:

n. 191 ἐκκλησία κ[υρία (ol. 115,1 = 320/19)
n. 230 ἐκκλήσ]ία κυρία (ol. 118,2 = 307/6)
n. 238 ἐκκλησία κυ[ρία (ol. 118,2 = 307/6)
n. 262 ἐκκλησί]α κυρία
n. 278 ἐκκλησία κ[υρία
n. 301 ἐκκλησία κυ]ρία
n. 303 ἐκ'κλη]σία κ[υ]ρί[α
n. 304 ἐκκ]λ[η]σία κυρία
n. 308 ἐκκλησία κυρία
n. 314 ἐκκλησία κυρ[ί]α (ol. 124,1 = 284/3)
n. 317 ἐκκλησία κυρία
n. 320b ἐκκλησία] κυρία
n. 332 ἐκκλησία κυρία
n. 336 ἐκκλ[ησία κυρ]ία
n. 352b ἐκκλησία κυρία
n. 371 ἐκκλησία κυρία
n. 377 ἐκκλησία κυρία ἐν τῶι θ[εάτρωι
n. 403 ἐκκλη]|σία κυρία ἐν τῶι θεάτ[ρ]ωι
n. 408 ἐκκλησία κυρία ἐν τῶι θεάτρωι
n. 421,19 ἐκκ[λησία] κυ[ρία ἐν τῶι θεάτρωι
n. 435 ἐκκλησία κυρία ἐ[ν τ]ῶι θεάτρωι
n. 436 ἐκ]κλησία κυρία ἐν τῶι θεάτρωι

n. 439 ἐκκλησία [κυρία] ἐν τῶι θεάτρωι
n. 454 ἐκκλησία κυρία ἐν τῶι θ[εάτ|ρωι
n. 467,3 ἐκκλησία κυρία ἐν τῶι θεάτρωι
n. 467,68 ἐκκλησία κυρία ἐν τῶι θεάτρωι
n. 468 ἐκκλησία κυρία ἐν τῶι θε[άτρωι
n. 469 ἐκκλησία κ[υ|ρία ἐν τῶι θεάτρωι
n. 470,2 ἐκκλησία κυρία [ἐν τῶι θεάτρωι
n. 470,32 ἐκκλησία κυρία ἐν τῶι θεάτ[ρ]ωι
n. 470,63 ἐκκλησία κυρία ἐν τῶι θεάτρωι
n. 471,1 ἐκκλησία κυρία ἐν τῶι θεάτρωι
n. 471,51 ἐκκλησία κυρία ἐν τῶι θεάτρωι.

B. Notationem κυρία in tabulis scriptam fuisse coniectura probabili efficitur:

n. 177 ἐκκλη[σία| κυρία· τῶν προ]έ[δρων (ol. 112,3 = 330/29)
n. 182 ἐκκλησί[α| κυρία· τῶν προέδ]ρων (ol. 114,2 = 323/2)
n. 183,6 [-ἐκκλησία κυρία· τῶ|ν προ]έδρων (ol. 112,1 = 332/1)
n. 183,23 [-ἐκκλησία κυρία· τῶ|ν προέδρ]ω[ν (ol. 114,2 = 323/2)
n. 231 [-ἐκκλησία κυρία· τῶν προέ]δρων
n. 236 ἐκκλη[σία κυρία· τῶν προέδρων- -] (ol. 116,4 = 313/2)
n. 245 [-ἐκκλησία κυρία· τῶν προέδρων-]
n. 255 ἐκκλησ|[ία κυρία· τῶν προέδρων-] (ol. 119,1 = 304/3)
n. 257 ἐκ[κ]λ[ησία κυρία· τῶν προέδρων-] (ol. 119,1 = 304/3)
n. 300 ἐκκλ[η]σί|[α κυρία· τῶν προ]έδρων (ol. 121,2 = 295/4)
n. 306 [-ἐκκλησία κυρία· τῶν προέδρων-]
n. 319 [-ἐκκλησία κυρία· τῶ]ν προέδρων
n. 322 [-ἐκκλησία κυρία· τῶν προ]έδρων (ol. 125,4 (?) = 277/6)
n. 325 [. . . . ἐκκλησία κυρία· τῶν προέδρων-]
n. 373 [-ἐκκλησία κυρία· τῶν προέδρων-]
n. 373b [-ἐκκλησία κυρία· τῶν προέδρων . . . .]
n. 373b,30 ἐκκλησία κυρία· τῶν προέδρων
n. 385 ἐ[κκλησία κυρία ἐν τῶι θεάτρωι· τῶν-]
n. 390 ἐκ[κ]λ[ησία κυρία ἐν τῶι θεάτρωι· τῶν-]
n. 430 ἐκκλησ[ία κυρία ἐν τῶι θεάτρωι· τῶν-]
n. 477 [ἐκκλησία κυρία ἐν τῶι θεάτρωι· τῶν-]
n. 492 [. ἐκ|κλησία κυρία· τῶν]

Priusquam autem adgrediar ad ipsam rem, quam tractandam mihi proposui, pauca praemonenda sunt de hac for-

mula ipsa similibusque, quae in praescriptis decretorum obviam fiunt, additis.

Antiquissimus eorum titulorum, qui insignes sunt notatione contionis, est CIA II 1 n. 173 (ol. 112,1 = 332/1) ubi legitur ἐκκλησία [ἐ]ν [Διονύσου] (vide pg. 10.); ἐκκλησία κυρία primum occurrit n. 177 (ol. 112,3 = 330/29); ἐκκλησία primum n. 186 (ol. 114,3 = 322/1)[1]. Omnes autem tituli, qui ol. 112,1 = 332/1 antiquiores sunt, nullam contionis significationem praebent, pauci etiam eorum, qui paulo recentiores sunt. Sunt autem hi: n. 174 (ol. 112,1 = 332/1); n. 176 (ol. 112,3 = 330/29); n. 178 (ol. 112,4 = 329/8); n. 181 (ol. 114,2 = 323/2). Accedunt n. 180, qui titulus ol. 114 recentior non est habendus; nn. 190 et 193, quorum annus non adparet. In omnibus deinceps titulis, qui post ol. 114 compositi sunt — excepto tantum n. 323, Polyeucti anno, ol. 125,4 = 277/6 conscripto — semper addita est aliqua significatio contionis. Atque cum supra habeas recensum decretorum, in quibus ἐκκλησία κυρία exstat, hoc loco addo ea decreta, in quibus legitur tantum ἐκκλησία.

CIA II 1 nn. 120; 186; 188; 201; 230; 234; 237; 238b; 244; 247; 249b; 252b; 256b; 259; 260; 263; 264; 269; 270; 280; 297; 299; 302; 305; 311; 312; 313; 315; 316; 330; 334; 343; 345b; 384; 493; Ἀθήν. VI 134; 271 n. 4; 386 n. 4 (summa 38).

Titulus n. 330 exaratus est Cimone archonte i. e. ca. ol. 125 = 280 (cf. quae de aetate tituli adnotat Koehler). n. 344 Diomedonte archonte, cuius annus nondum definitus est; n. 343 archontis nomen non praebet, sed bello Chremonideo antiquior esse Koehlero visus est: quod ultimum est huius significationis exemplum, cuius tempus aliqua probabilitate definiri possit. Itaque constat solam contionis notationem scriptam esse inde ab ol. 112 = 332 usque ad medium fere saec. III.

---

[1] n. 175 ea de causa praeterii, quia nec de tempore satis constat neque verba ullo modo certo restitui posse videntur. Vide quae adnotavi ad hunc tit. pg. 11.

Inde ab hoc tempore in praescriptis titulorum post ἐκκλησία vel ἐκκλησία κυρία semper additur significatio loci, quo quaeque contio habita sit. Atque omnes contiones κύριαι habitae sunt ἐν τῷ θεάτρῳ (cf. catalogum pg. 1—2 inde a n. 377). Iam adscribam significationes locorum eorum titulorum, in quibus ἐκκλησία non diserte dicitur κυρία.

1) ἐκκλησία ἐν τῷ θεάτρῳ:
nn. 299b; 392; 399; 432; 437; 459; 460; 463; 465_{28}; 469_{50}; 477b; 494; cf. etiam 280b (summa: 12).

n. 392 saeculo III exeunte non multo antiquior visus est Koehlero; n. 399 caret temporis nota. De tit. n. 299b vide infra.

2) ἐκκλησία ἐμ Πειραιεῖ:
nn. 401; 406; 407; 417; 433; Ἀθήν. V 522; VI 489; cf. Dem. 19 § 60; CIA II 1 n. 459: ἐκκλησία ἐν τῶι] θεάτρωι ἡ μεταχθεῖ[σα] ἐκ Πειραιέως κατὰ τὸ ψήφισμα etc.

ἐμ Πειραιεῖ exaratum est nn. 401; 406; 417; 433; Ἀθήν. VI 489; restitutum CIA II 1 n. 407. Ἀθήν. V 522 ex Cumanudis transcriptione datur ἐν Πειραιεῖ; de n. 173 vide pg. 10.

3) ἐκκλησία ἐν Διονύσου:
nn. 307 bis; 420 bis; cf. n. 114 B v. 6; Aesch. II 61, III 68; Dem. 21 §§ 8 et 9; vide CIA II 1 n. 173.

De hoc additamento non eadem valent, quae de praecedentibus; agitur enim de sollemni contione post Dionysia habita, cui contioni semper additum esse adparet locum in praescriptis (ἐκκλησία ἐν Διονύσου), etiam iis temporibus, quibus loci significationes contionibus adici nondum solebant. Etenim n. 307 exaratus est ol. fere 122 = 290.[1]

4) ἐκκλησία ἐν τῷ θεάτρῳ ἐν Διονύσου:
n. 470_{74}.

Habita est haec contio Thargelionis die XVI, Aristarcho archonte, inter annos fere 69 et 62 a. C. Agitur de Dionysii pompa.

---

[1] Contiones ἐν Διονύσου inde a saec. III initio habitae sunt omnes Elaphebolionis die XXI. Saec. IV nonnullis diebus ante XXI habebantur: cf. Aesch. II 61; CIA II_1 n. 173 vide infra ad Thuc. IV 118.

5) *ἐκκλησία (σύγκλητος) κατὰ ψήφισμα, ὁ ὁ δεῖνα εἶπεν:*
n. 381: *ἐκκλησί[α ἐν] τῶι θεάτρ[ωι σύγκλητος κατὰ ψήφισμα, ὁ[...-]|σίας Θορ[ίκιος εἶπεν.*
n. 389: *ἐκκλησία ἐ[ν τῶι θεάτρωι κατὰ ψήφισμα, ὁ...σ]τρατος Ἐρχιεὺς εἶπεν.*
n. 434: *ἐκκ[λησία ἐν τῶι θεάτρωι κατὰ ψήφισμα, ὁ........— εἶπεν — —].* Vide tamen infra ad n. 434. Cf. Aesch. II 61; III 67; CIA II1 n. 439.

Appendicis loco adiungo eos titulos, qui exhibent formulam *βουλὴ ἐν* (vel *ἐμ*) *βουλευτηρίωι*: n. 179 (ol. 113,4 = 325/4); nn. 390$_{28}$; 391; 440; 461; 475; 489b; infuit etiam praescriptis titulorum nn. 258; 329; 393; 394; 404; 535; *βουλὴ ἐν τῶι Ἐλευσινίωι,* quae formula legitur nn. 431$_{30}$ et 472, similitudinem quandam habet cum illa: *ἐκκλησία ἐν Διονύσου.* n. 481 legitur: *ἐ]ν τῶι Θησε[ίωι βουλή.* n. 482: *β]ουλὴ ἐν τῶι θεάτρωι ἡ [μεταχ]θεῖσα ἐκ τοῦ Πα[ναθ|η]ναϊκοῦ σταδίου* cf. n. 459.

Cap. II.

Quoniam proposui omnium titulorum praescripta, quae significationem contionis exhibent, nunc videndum est, quibus diebus habitae sint singulae horum titulorum contiones. Qua in re pauca praemonenda sunt de ea ratione qua Athenienses soliti sint tempora contionum exprimere ita, ut certa notaque traderent memoriae.[1]

Atque et ante Euclidem et proximis temporibus post Euclidem Athenienses decretis praescripserunt nomina prytaniae, scribae, epistatae, rogatoris, nonnumquam etiam archontis. Inde ab ol. 100 fere (= 380) addebant saepius, quota prytania regnante decretum esset datum; inde ab ol. fere 104 etiam, quo prytaniae die. Atque dies prytaniae notatus est nn. 54 (104,2 = 363/2); 58 (caret temp. nota); 62 (105/4 = 357/6); 70 (106,2 = 355/4); 111 (108,4 =

---

[1] Cf. de his rebus quas breviter attigisse satis habeo, praeclarum librum Hartelii ‚Studien über attisches Staatsrecht und Urkundenwesen' Wien 1878; qui liber absoluta demum hac dissertatione in manus meas pervenit.

345/4); 116 (109,4 = 341/0); 117 (110,1 = 340/39); 222 (caret temp. nota). Mensis autem dies non legitur ante ol. 110,3 = 338/7 n. 121. (Nam n. 120 non pertinet ad ol. 110,1 : vide quae adnotavi ad hunc titulum).

Inde ab hoc tempore et mensis et prytaniae dies decretis praescripti sunt exceptis nonnullis, in quibus antiquior modus servatus est: nn. 124 (ol. 110,4 = 337/6); 126; 127; 128; 168 (ol. 111,4 = 333/2); paucissimis decretis solus mensis dies praescribitur: n. 238; 244; 315; cf. n. 162 frg. a b v. 14.

Iam adgrediar ad singulos titulos tractandos. Quae disquisitio inprimis versabitur in investigandis diebus tam prytaniarum quam mensium, quibus quaeque habitae sint contiones. Atque quos recte sine dubio titulos restituit Koehler hoc loco par est praetermittere — conspectum autem eorum egi in tabulis huic commentationi additis —, eos tantum retractaturus, quos ille aut omnino non attigit aut non plane mihi restituisse visus est. Ordinem numerorum corporis inscriptionum Atticarum servavi.[1]

n. 109.

Hanc contionem eodem die habitam esse atque eam, quae nuper innotuit ex *Ἀθήν.* VI 152, nomen epistatae, qui idem est in utroque titulo *(Θεόφιλος Ἁλιμούσιος)*, demonstrat. Utramque autem contionem habitam esse aliquot diebus ante Elaphebolionis diem XVIII sequitur ex tituli citati v. 55 sq.

n. 120.

Koehler hunc titulum pertinere putat ad ol. 110,1, praescriptorum forma permotus. Quod num recte fecerit videndum.

In primo versu et secundo si nomina prytaniae et numerum, quo quota munere functa sit indicatur, inserueris ea, quae plurimis constant litteris, veluti *Ἱπποθωντίδος* (12 lit.) et *τετάρ]της* (8 litt.), summa versuum longitudo efficitur 37 litt. Iam si ad v. 3 accedis, post vocabulum *πρυτα[νείας* spatium

[1] Textus titulorum quatenus restituere conatus sum, in fine commentationis scriptos exhibui.

explendum esset summum 12 litterarum. Quod Koehler dubitanter proposuit ἔδοξεν τῶι δήμωι, duabus de causis ferri non potest: et duabus litteris spatium summum supergreditur neque haec notatio hoc loco umquam legitur, sed semper post proëdrorum nomina. Hoc ipso autem loco, si aliquid, notatio contionis requiritur. Atque cum ἐκκλησία κυρία (13 litt.) spatium maximum una littera supergrediatur, aptum est solum ἐκκλησία.

Vera versuum amplitudo hoc modo definita est 33 litterarum. Relinquuntur igitur restitutioni nominis mensis et numerorum mensis prytaniaeque 22 litterae. At licet vocabula ponas ea, quae paucissimis constent litteris, veluti Γαμηλιῶνος εἰκοστῆι, ἕκτηι (23 litt.), amplitudo versuum superatur. Solito igitur modo haec expressa fuisse non videntur. Propterea verisimile est hic latere idem lapicidae peccatum, quod commissum est nn. 181; 493;. 477b: equidem proposuerim Ἑκατομβαιῶνος ἑνδεκάτηι, quae restitutio spatium adcurate explet. Scribere enim debebat lapicida Ἑκατομβαιῶνος ἑνδεκάτηι, ἑνδεκάτηι τῆς πρυτανείας.

Quae si recte restituta sunt, titulus non pertinet ad ol. 110,1. Nam eo tempore nondum addita est significatio contionis (prima occurrit n. 175, ol. ca. 112; ipsa mensis notatio prima n. 121, ol. 110,3.). Revocandus igitur titulus ad ol. 116,4 = 313/2. Quem ad annum quominus Koehler titulum revocaret, hoc obstitisse videtur, quod non inveniebat symproëdros illos, qui inde ab ol. 115 (vel 115,2) semper in praescriptis comparent. Videntur autem fragmenta litterarum, quae in ultimo versu leguntur, non fuisse *ΟΣΜ* sed potius *ΟΕΔ* = συμπρ]όεδ[ροι. Eiusdem anni est n. 236. Prytania fuit aut Erechtheïs aut Cecropis aut Antiochis prima. Scribae nomen non exaratum fuit.[1]

n. 121.

Restitutioni dierum mensis et prytaniae datae sunt 22 litterae. Hi tantum numeri in lapide fuisse possunt:

ὀγδόηι μετ᾽ εἰκάδας, ὀγδόη]ι
ἐνάτηι μετ᾽ εἰκάδας, ἐνάτη]ι

[1] al. Hartel l. c. p. 45.

ἐνάτηι μετ᾽ εἰκάδας, ὀγδόη]ι
ἕκτηι μετ᾽ εἰκάδας, πέμπτη]ι.

Alios dies, qui minus apti sint, missos facio, quia verum diem invenisse me ex Aeschine spero. Ibi enim III 27 legitur: ἐπὶ γὰρ Χαιρώνδου ἄρχοντος Θαργηλιῶνος δευτέρᾳ φθίνοντος ἐκκλησίας οὔσης ἔγραψε Δημοσθένης ἀγορὰν ποιῆσαι τῶν φυλῶν Σκιροφοριῶνος δευτέρᾳ ἱσταμένου καὶ τρίτῃ. Hic titulus ad eundem mensem eiusdem anni spectat; δευτέρα φθίνοντος est dies XXIX, si mensi erant 30 dies. Adparet igitur hoc decretum eodem die factum esse, quo Demosthenem illud rogasse Aeschines narrat, i. e. Thargelionis die XXIX. Unum quaeri potest, utrum exstiterit ἐνάτηι μετ᾽ εἰκάδας an δευτέραι φθίνοντος; nam semel tantum in toto CIA II 1 legi φθίνοντος: n. 180 (vide adn. ad tit. n. 230). Propterea etiam in hoc titulo, qui omnium primus exhibet notationem mensis, idem exstitisse potest. Pendet autem iudicium e restitutione diei prytaniae. Si scribitur δευτέραι φθίνοντος (17 litt.), relinquuntur diei prytaniae 5 litterae, quod spatium solo expletur vocabulo ἕκτηι. Atque cum dies XXIX Thargelionis, si 5 menses erant cavi, 5 solidi, sit 324us totius anni, praecedentium prytaniarum sex quidem habuerant 35 dies, tres 36 [35 . 6 (= 210) + 36 . 3 (= 108) = 318 + 6 = 324]. Ipsa deinde prytania decima habere debebat 36 dies. Quodsi scribimus ἐνάτηι μετ᾽ εἰκάδας (16 litt.), spatium, quod relinquitur diei prytaniae, continebat 6 litteras, suppleri potest ὀγδόηι vel ἐνάτηι. Si ὀγδόηι suppletur, una prytania habebat 36 dies, octo 35; decima ipsa 38 dies; si ἐνάτηι, omnes priores prytaniae 35 dies, decima 39. Magis igitur inclino in supplementum δευτέραι φθίνοντος.[1]

n. 123.

Prytania fuit sexta, quia ἕκτης solum spatiis sufficit. Annus ol. 110,4 = 337/6 fuit communis (v. n. 125); anno autem communi prytania sexta administrabat fere inde a

---

[1] Annus ol. 110,3 = 338/7 fuit communis; v. tab. annorum.

Posideonis die 28 usque ad Anthesterionis diem primum. Anthesterion scribi non potest; nam si v. 5 numerum paucissimis litteris constantem ponas i. e. ἕκτ]ηι, tamen spatium post ἐγραμμάτευεν, 12 litt. complectens, Ἀνθεστηριῶνος (13 litt.) recipere non potest. Nec magis scribi potest Ποσιδεῶνος, quia dies ultimi 28, 29, (30) ita exprimi non possunt, ut cum spatiis congruant et desinant in -ηι. Propterea mensis fuit Gamelion; dies fuisse possunt hi:

δεκάτ]ηι [ἱσταμένου (sed hoc die Lenaea celebrabantur)
δεκάτ]ηι [ὑστέραι
πέμπτ]ηι [ἱσταμένου s. ἐπὶ δέκα s. μετ' εἰκάδας.

n. 132.

Singulos versus continere 25 litteras ex v. 5/6 adparet, qui certo restituti sunt. Ἑ[κατομβαιῶνος scribi non potest quia dies mensis prytaniaeque iidem non sunt: unum igitur relinquitur Ἐ[λαφηβολιῶνος. Iam inter hoc vocabulum et εἰκοστῆι spatium est 13 litterarum, quod cum totam diei significationem continere non possit, AI v. 5. fuisse κ]αὶ cum Koehlero sumendum est. Quae si recte se habent, neque alii numeri quam quos posui per spatia excogitari possunt et ipsi numeri optime consentiunt cum temporum ratione anni intercalaris (5 . 30 + 4 . 29 + 20 = 150 + 116 + 20 = 286; 6 . 38 + 37 + 21 = 228 + 37 + 21 = 286). Decretum factum esse ante ol. 114 contionis significatio non addita (cf. p. 3), idem factum esse post ol. 110,2 mensis notatio docet (cf. p. 5). Per quod tempus anni intercalarii erant ol. 110,3 (Chaerondae); 111,1 (Pythodemi); 111,4 (Nicocratis); 112,3 (Aristophontis); olympiadis sequentis anni intercalarii non constant, cf. adn. ad n. 492 et Ἀθήν. VI 134/5. Propter scribae nomen quod in hoc de quo agitur titulo 11 litteras comprehendit anni ol. 110,3; 111,4; 112,3 excludendi sunt; relinquuntur ol. 111,1 et anni intercalarii ol. 113. Videtur tamen hic titulus ad eundem annum non pertinere, quo decreta Ἀθήν. VI 134/5 et CIA II 1 n. 180 facta sunt, propter scribae nomen,

n. 169.

Parum recte scripsit Koehler: ἐν[άτηι κα]ὶ δ[εκάτηι τῆς πρυτανείας. Quod si recte se haberet necesse esset aut primam prytaniam 37 dies tantum administrasse, cum 38 deberet, quia Nicocratis annus est intercalaris, aut diem aliquem esse intercalatum; quorum neutrum est verisimile. Scribendum igitur: ὀγ[δόηι κα]ὶ δ[εκάτηι, quo modo Hecatombaeoni dantur 30 dies, primae prytaniae autem 38, quot par est (30 + 26 = 56; 38 + 18 = 56).

n. 173.

Koehler scripsit v. 5/6: ἐ]ν [Πειραιεῖ]. Primum autem monendum est, hanc loci significationem occurrere altero demum a. C. n. saeculo; quo tempore hic titulus exaratus est, eiusmodi loci significationes omnino nullae dum leguntur (v. pg. 3). Deinde non ἐν Πειραιεῖ scribi solet, sed ἐμ Πειραιεῖ: nn. 401; 406; 417; 433; Ἀθήν. VI 489. Uno tantum loco, siquidem recte dedit Cumanudis, ἐν Πειραιεῖ exstat Ἀθήν. V 522. His causis permotus falsam hanc lectionem esse credidi posuique ἐ]ν [Διονύσου]. Hanc enim loci significationem antiquiorem esse ceteris supra vidimus pg. 4 n. 3. Dies fuit XIX Elaphebolionis anni ol. 112,1 = 332/1; eadem contio anno ol. 108,3 = 346/5 habita est Elaphebolionis die fere XVII, certe ante diem XVIII (Aesch. II 61); posterioribus temporibus semper ut videtur die XXI.

In hac contione agebatur de rebus sacris Dionysiorum magnorum. cf. Dem. 21,8 (lex) et 9: ἐν δὲ ταύτῃ (scil. ἐκκλησίᾳ ἐν Διονύσου), ἐπειδὰν χρηματίσωσιν οἱ πρόεδροι περὶ ὧν διῴκηκεν ὁ ἄρχων, χρηματίζειν καὶ περὶ ὧν ἄν τις ἠδικηκὼς ᾖ τὴν ἑορτὴν ἢ παρανενομηκώς. Agitur in hoc decreto de honoribus conferendis homini Plataeensi; rogationem tulerat Lycurgus Lycophronis f. Butades, cuius cura rerum sacrarum nota est. Propterea Plataeensem illum honoribus adfectum esse conicio, quia aliquid contulisset ad Dionysiorum festum ornatius celebrandum.

n. 175.

Quae restituit vv. 4, 5, 6 Koehler, necessaria omnino esse videntur. Longitudo versuum erat 34 litterarum. Sed qui fuit mensis? Fragmentum versus 3 litterae ultimae indicat aut E, aut P, aut H, aut A; cf. Koehleri vv. ll. De P et H non cogitandum, quia mensis ab his litteris nullus incipit. Atque cum propter spatia necessarium sit mensem 11 litteris constare, in censum veniunt Ἑκατομβαιών, Ἀνθεστηριών, Ἐλαφηβολιών, fortasse Σκιροφοριών. Hecatombaeon non fuit, quia non pares sunt dies mensis et prytaniae. Si Anthesterionem ponis, eius dies ultimus omni modo incidit in prytaniam septimam (ἑβδόμης); sed cum v. 2 numerus ante prytaniam desinat in — της, et septima prytania et Anthesterion abiciendi sunt. Elaphebolionis dies ultimus incidit in prytaniam octavam (ὀγδόης). Itaque eadem de causa ne hanc quidem prytaniam nec hunc mensem ponere licet. Nec magis Σκιροφοριῶνος poni potest, quia eius mensis diei ultimo respondere non potest prytaniae ultimae dies XXV (v. 4/5). Videtur igitur mendum aliquo loco latere aut ipsius lapicidae aut eorum, qui titulum exscripserunt. Atque si prima littera v. 2 = T recte se habet, mendum latet v. 5; si v. 5 recte, mendum v. 2 initio. Scriptum igitur esse potest:

1) v. 2: ἑβδόμ]ης πρυτανείας
v. 3/4: Ἀ[νθεστηριῶνος
v. 4/5: πέμ[πτηι καὶ εἰκοστῆι

2) v. 2: δεκά]της πρυτανείας
v. 3/4: Σ[κιροφοριῶνος
v. 4/5: πέμ[πτηι καὶ εἰκοστῆι, lapicidae errore pro τριακοστῆι.

Quomodo autem lacunis recte mederi possim, non video.

n. 188.

Temporum ratio satis mira est. Nam licet pro Θαργηλιῶνος recte Σκιροφοριῶνος ponas, quomodo explices numerum dierum prytaniae? CIA II 1 n. 186 Thargelionis dies II respondet diei 23 prytaniae, quod nisi anno intercalari evenire

non potuit. Etenim si 6 menses solidi, 5 cavi fuerunt, Thargelionis d. II erat 327us anni (6 . 30 (= 180) + 5 . 29 (= 145) + 2 = 327). Prytaniae nonae dies 23 item est 327us anni, si praecedentes octo prytaniae administraverant 8 . 38 = 304 dies (304 + 23 = 327). Faciamus numerum dierum Thargelionis et Scirophorionis fuisse 59; tum prytaniae nona et decima administrabant 80 (59 + 21) dies et 21 dies praefuerat iam nona prytania mense Munichione: ex hoc autem de quo agitur titulo adparet prytaniam decimam non plus quam 39 dies munere functam esse (v. 6: *κ]αὶ τριακοστῆι*). Ergo nona prytania plus quam 40 dies administraverat. Atque si v. 5/6 ea restituis, quae per spatia sola apta sunt, haec X prytania ne legitimos quidem 38 dies habebat. Sed satis habeo difficultates indicasse, quibus explicandis par non sum.

n. 230 frg. a.

Proficiscendum est a versibus tertio et quarto, quorum certa emendatio docet longitudinem singulorum versuum fuisse 31 litt. Post *Μαιμακτηριῶνος* igitur desunt 14 litterae. Rangabis Ant. hell. II n. 426 pg. 99 supplevit *Μαιμακτηριῶν[ος ἑβδόμηι, πρώτη]ι καὶ εἰκοστῆι* — vel — *Μαιμακτηριῶν[ος δεκάτηι, τρίτη]ι καὶ εἰκοστῆι*, utrumque parum recte. Quod priori loco posuit tribus de causis reiciendum est. Primum enim Athenienses, si mensium dies numerabant, primae decadis numeris semper addebant: *ἱσταμένου*.[1] Deinde prytaniae dies XXI

[1] Quia saepius recurrendum erit ad usum Atheniensium dies mensium numerandi, hoc loco, quae de ea re collegi, exponam.

	I decas		II decas		III decas	
1	. . . . .		*ἑνδεκάτηι*		*δεκάτηι ὑστέραι*	
2	*δευτέραι*		*δωδεκάτηι*			
3	*τρίτηι*					
4	*τετράδι*					
5	*πέμπτηι*	*ἱσταμένου*		*ἐπὶ δέκα*		*μετ᾽ εἰκάδας*
6	*ἕκτηι*					
7	*ἑβδόμηι*					
8	*ὀγδόηι*					
9	*ἐνάτηι*					
10	*δεκάτηι*		. . . .		*ἕνηι καὶ νέαι*	

in titulis nunquam audit: *πρώτη καὶ εἰκοστή*, sed semper *μία καὶ εἰκοστή*, cf. CIA II1 nn. 180; 236; 263; 264; 270; 297; 303; 320; 407; *Ἀθήν.* VI 158 etc. Postremo rarissime decreta obviam fiunt, quae facta sint die alicuius decadis septimo; cf. A. Mommsen Heortologie pg. 94 et 295; vide tamen CIA II1 n. 260; n. 280, ubi clare legitur *ἑβδόμει ἐπ[ὶ δέκα*. Altera autem Rangabis coniectura laborat eo, quod *δεκάτηι* dixit pro *δεκάτηι ἱσταμένου*.

Restat unum quod cum spatiis et ratione conveniat supplementum, ut scribamus: *Μαιμακτηριῶν[ος ἑνδεκάτηι, μιᾶ]ι καὶ εἰκοστῆι τῆς πρ.*

Nam *δωδεκάτηι*, quod per spatia scribere licet, eo mihi minus placet, quod si in lapide fuisset, uni prytaniae 37 dies attribuere cogeremur, quod accidisse haud verisimile est (2 . 30 + 2 . 29 + 12 = 60 + 58 + 12 = 130; 2 . 36 + 37 + 21 = 72 + 37 + 21 = 130). Prytania functa est Hippothontis, quod adparet ex v. 21; cf. quae adnotavi ad n. 309.

Titulus exaratus est post ol. 112,1, quia exstat in v. 3/4 *ἐκκλησία κυρία* (cf. pg. 3) et ante ol. 115,2, quia symproëdri nondum nominati sunt. Annus, quo decretum factum est, fuit communis; anni autem communes inter ol. 112,1 et 115,2 fuerunt (cf. tab. annorum):

ol. 112,2; arch. Aristophanes; scriba ignotus.
ol. 113,2; arch. Hegemon; „ „
ol. 114,1; arch. Hegesias; „ „
ol. 114,4; arch. Archippus; „ „

Videtur autem titulus pertinere ad ol. 114,4, quia scribae demoticon per compendium scriptum est, quod factum esse ante ol. 115 non inveni [cf. Hartel l. c. p. 40 sqq].

Primus dies mensis varie expressus est; CIA II_1 n. 176: *ἑ[-- ....]ηι*; cf. ind. CIG. Dies XX n. 303: *εἰκοστῆι*; cf. n. 132, ubi fortasse [*εἰκάδι*]? Falso igitur Koehler n. 381: *ἐνάτηι καὶ δεκάτηι*, qui numerus audit *ἐνάτηι ἐπὶ δέκα*. In III decade semel *φθίνοντος* legitur n. 180; cf. tamen, quae de n. 121 exposui. Inde ab altera parte saeculi IV semper legitur *μετ' εἰκάδας*; falso igitur Koehler n. 135c *ἕκ[τηι καὶ εἰκοστῆι*, et n. 431 v. 29 adn. [*ἑβδόμει φθίνοντος*. Quod tradidit auctor Lex. Cantab. s. v. *ἕνη καὶ νέα* hinc corrigendum est.

n. 230 frg. b.

„Ex praescriptorum forma et litteraturae specie“ iam Koehler conclusit „hoc decretum et monumentum ipsum ol. 115 vix esse recentius“. Atque cum annus sit intercalaris, non potest titulus non pertinere ad ol. 115,4 (arch. Demogenes), qui annus hac Olympiade solus est intercalaris.

n. 231.

Koehlerum secutus, qui nomen archontis recte restituisse videtur, cetera ut edidi supplenda esse censeo. V. 3 quae Koehler et Velsen legerunt, *πρώτηι καὶ δεκάτηι* fuisse videntur. Sed *πρώτηι καὶ δεκάτηι* pro *ἑνδεκάτηι* vix ab Atheniensibus in inscriptione publica dictum est (V. tamen n. 183, ubi Koehler supplevit: *δευτ[έραι ἐπὶ δέκα - -)*. Propterea rectius videtur legisse Rangabis, qui praebet *τρίτηι καὶ δεκάτηι*. Cum versuum longitudo sit 50 litt., restant restitutioni mensis eiusque diei 22 litt. Atque Archippi annus erat communis (cf. tab. annorum). Propterea menses eorumque dies, qui et lacunam adcurate explent et respondent diei prytaniae alicuius decimo tertio, sunt aut *Πυανοψιῶνος ἕνει καὶ νέαι*, cui diei respondet prytaniae quartae dies XIII ($2 . 30 + 2 . 29 = 60 + 58 = 118$; $3 . 35 + 13 = 105 + 13 = 118$) aut *Μουνιχιῶνος ἕνει καὶ νέαι*, cui quidem diei respondet prytaniae nonae dies XIII ($5 . 30 + 5 . 29 = 150 + 145 = 295$; $2 . 36 + 6 . 35 + 13 = 72 + 210 + 13 = 295$). Uter fuerit diiudicari non potest.

n. 236.

Koehler restituit diem prytaniae: *μιᾶι καὶ τριακοστῆι*, ea sane de causa, quod littera ultima versus quarti ei visa est Κ eoque modo evasit annus intercalaris, qui nullo modo ferri potest. Nam et secundum cyclum tum temporis usitatum annus ol. 116,4 est communis neque Athenienses, si opus fuisset totum mensem intercalare, ita intercalassent, ut duo anni intercalares sese exciperent. Nam ol. 116,3 certo est

intercalaris. Accedit quod anni sequentes optime ad cyclum quadrant (v. tab. annorum). Propterea omni modo hunc annum communem fuisse oportet. Atque optime etiam dies prytaniae ita restitui potest, ut annus evadat communis, si scribimus Velseni apographum secuti: *πέμπτει καὶ δεκάτει τῆς πρ.* (3 . 30 + 3 . 29 + 16 = 90 + 87 + 16 = 193; 3 . 36 + 2 . 35 + 15 = 108 + 70 + 15 = 193).

n. 238.

Certa est lectio et mensis Posideonis et contionis; dies fuit aut V aut X (propter spatia); septimus non fuit, ut docui ad n. 230. Quae adnotavit in addendis Koehler de scriba non omni ex parte recte se habent (cf. ad n. 238b).

n. 238b.

Koehler hunc titulum ad ol. 118,2 = 307/6 revocavit; parum recte. Nam scribae eius, qui ol. 118,2 senatui adfuit, nomen cum patronymico et demotico continet 28 litteras, huius 23 tantum. Qua ex re sola adparet titulum non spectare ad Anaxicratem, qui 118,2 archon erat, sed ad eum Anaxicratem, qui ol. 125,2 eo munere functus est (cf. n. 320b), cuius anni scribae nomen totidem fere complectitur litteras: *Λυσίας Ποθείνου Διομεεύς* (22 litt.). Nec offendit quod in v. 3 huius de quo agitur tituli demoticon scribae exit in — *ιεύς*: etenim demoticon hoc erat et *Διομεεύς* et *Διομειεύς* derivatum a *Διόμεια* (cf. n. 493, qui titulus ad eundem annum spectat). Atque si scribitur *Λυσίας Ποθείνου Διομειεύς*, spatium totum ad litteram expletur. Hoc igitur titulo non comprobatur, id quod Koehler in addendis ad n. 238 putavit, demoticon scribae ol. 118,2 fuisse *Παιανιεύς*; etsi spatia flagitant hoc demoticon, cum *Ποτάμιος* lacunam non expleat.

Is qui rogationem tulerat fuit Stratocles Euthydemi f. Diomeeus; idem commemoratur CIA II 1 nn. 240 (ol. 118,2 = 307/6); 247; 263; 264 (ol. 119,2 = 303/2); 265; 266; 267; (268?); 302 (ol. 121,4 = 293/2); *Ἀθήν.* V 522 n. 6.

Menses fuerunt aut Munichion aut Thargelion aut Scirophorion, quia prytania erat aut *δε]κάτη* aut *ἐνδε]κάτη* aut *δωδε]κάτη*. Post *ἱσταμένου* v. 4 suppleri debere videtur *ἐ[νάτηι*. Dies mensis qui fuerit non exputo; cum de huius aetatis ratione temporum non satis constet: cf. n. 320b.

n. 245.

Koehlerum secutus, qui titulum ante ol. 118,2 conceptum esse putat, cetera restituere temptavi (cf. apographum). Unius versus longitudo definitur eis supplementis, quae in v. 3/4 posui; hic enim sive Scirophorionem sive alium scribis mensem efficitur versus 33 – 37 litterarum. Si *κυρία* non reciperetur, versus esset 31 litterarum, quod non pateretur v. 3/4; recepto vero vocabulo *κυρία* versus efficiuntur 36 litterarum, qua re quomodo reliqui versus emendandi sint indicatur. Litterarum vestigia v. 2 legi possunt *ἐν]άτη[ς* vel *δεκ]άτη[ς*. Itaque mensis fuit aut Thargelion aut Scirophorion aut forte Munichion; nona enim prytania anno communi incipit Munichionis die fere XV, anno intercalari Munichionis die fere IX. Dies mensis est certo XXI *(δε]κάτηι ὑ[στέραι)*. Itaque Munichion scribi non potest, quia ii dies prytaniae, qui respondent diei XXI, omnes spatium post *ὑστέραι* usque ad *τῆς πρυτανείας* non explent (18 litt.). Fuerunt enim anno communi prytaniae nonae dies 3—7 (7 litt.), anno intercalari 9 – 13 (16 litt.). Thargelion si scribitur spatium unius litterae in v. 3 relinquitur vacuum et prytaniae dies solus aptus est *ἕκτηι καὶ τριακοστῆι* (18 litt.). Octo priores prytaniae tum administrassent 8 . 35 = 280 dies; ipsa nona 36, si praecedentium mensium quinque erant solidi, quinque cavi (280 + 36 = 316; 5 . 30 + 5 . 29 + 21 = 150 + 145 + 21 = 316); restarent decimae prytaniae dies 38 (316 + 38 = 354). Quae quidem dierum divisio quamquam non inaudita, at insolita est. Si vero Scirophorion scribitur, una littera superflua est in v. 3; dies tum solus aptus est spatiis *ἑβδόμηι καὶ εἰκοστῆι* (18 litt.) ita, ut illi quattuor dies, quibus annus dierum prytaniarum numerum legitimum superabat prioribus prytaniis

attributi fuerint (6 . 30 + 5 . 29 + 21 = 180 + 145 + 21 = 346; 4 . 36 + 5 . 35 + 27 = 144 + 175 + 27 = 346). Quae divisio multo saepius occurrit quam illa. Accedit quod eodem die Scirophorionis XXI aliae tres contiones habitae sunt; de quo vide tabulam.

Annus igitur fuit communis. Titulus et post ol. 115,2 exaratus et ante ol. 118,2, ut ex additamento *καὶ συμπρόεδροι* et ex ordine proëdrorum sequitur. Archon latet. Scriba ex pago *Θόραι* adhuc ignotus.

n. 252b.

In v. 5/6 certa est restitutio *τριακοσ[τῆι τῆς πρυτανείας· ἐκκλησία· τῶν] προέδρων* etc. Litterae adcurate *στοιχηδόν* dispositae sunt excepto v. 8. Ergo inter *ἐγραμμάτευεν* et *ἕνει καὶ νέαι* spatium est 12 litterarum, quod solo Boëdromionis nomine apte expletur. Recipiendum igitur in v. 1: *τρίτης πρυτανείας*. Scribae nomen posui e. g. *[Αὐτόλυκ]ος Λύκου Ἀλωπεκῆθεν*. Ad eundem annum pertinet etiam titulus, quem edidit Cumanudis in *Ἀθήν*. VI 386 n. 4. Titulus exaratus est ante saeculum III medium, quia nec locus contionis significatus est et Antigonis et Demetrias etiamtum exstant. Ceterum proëdri nominatim enumerati sunt etiam CIA II 1 nn. 230; 236; 244; 245; 336; 371; *Ἀθήν*. VI 271 n. 4.

n. 256.

Lacuna a *Ποσιδεῶν[ος* v. 4 usque ad *καὶ* v. 5 complectitur 24 litteras; cum annus fuerit communis (cf. nn. 255; 257), iure exspectas in hoc titulo ut in nn. 255 et 257 diem prytaniae eundem esse atque mensis. Quodsi re vera fuit, scribi tantum potest: *πέμπτηι μετ᾽ εἰκάδας, πέμπτηι καὶ εἰκοστῆι τῆς πρυτανείας* (v. autem 256b).

n. 256b.

Ad eundem annum spectant nn. 255; 256; 257; denique 258, cuius tituli praescripta perierunt. Qui tituli omnes ita

restituti sunt, ut evadat annus communis et mensis dies adcurate respondeat eidem diei prytaniae. Quomodo iam huius tituli temporum ratio diversa est explicanda? Ante diem primum Gamelionis mensis septima prytania iam septem dies expleverat; incipiebat, si Posideon solidus erat, die XXIV Posideonis. Quod si fuit, n. 256 scribi oporteret: *Ποσιδεῶνος δευτέραι μετ' εἰκάδας, ἐνάτηι καὶ εἰκοστῆι τῆς πρ.*, quod quidem spatiis non convenit. Sed quomodocumque scripseris, putare necesse est post Pyanopsionis diem XVIII (n. 255 v. 3/4) intercalatos esse sex vel septem dies; n. 257 autem, quod decretum Thargelione factum est, praebet dierum sortitionem solitam et ordinariam. Rursus igitur eundem numerum dierum demptum esse confitendum esset. Quod absurde factum esse, si modo esset factum, adparet. Propterea in hoc de quo agitur titulo errorem statuere magis placet, quam tale quid accidisse putare. Quamquam ubi lateat error dicere nequeo.

n. 257.

Thargelionis dies XXV fuit nefastus; Plut. Alc. cap. 34: *ἐν ταῖς μάλιστα τῶν ἀποφράδων τὴν ἡμέραν ταύτην* (scil. *ἕκτην φθίνοντος Θαργηλιῶνος*) *ἄπρακτον οἱ Ἀθηναῖοι νομίζουσιν* (vide A. Mommsen Heortologie pg. 427. Schömann de com. pg. 50). Nec tamen alius mensis exstare potest neque alius dies. Nisi igitur putamus re vera Plynteriorum die hoc decretum esse confectum, statuamus necesse est aut Plynteria tempore procedente sedem mutasse aut Thargelioni fuisse 29 dies, ita ut *ἕκτη φθίνοντος*, quo die Plynteria celebrabantur, incidisse in Thargelionis d. XXIV, postero deinde die habita esse haec contio putanda sit.

n. 260.

Koehler v. 4 supplevit *ἑβδόμει ἐπὶ δ]έκα*, quod spatiis non convenit, nisi putas duas litteras in unius spatium computatas esse. Praeterea autem vide adn. ad n. 230 frg. a. Tamen titulus n. 259 flagitare videtur, ut hoc loco scribatur *ἑβδόμει ἐπὶ δέκα*: ibi enim Anthesterionis dies VIII respondet prytaniae diei XX. En tabulam:

8 — 20	Nisi igitur forte dicamus latere errorem vel lapicidae vel eius, qui titulum composuit, amplectenda erit ea ratio quam Koehler iniit: id quod facere minime dubito. Contio fuit ultima prytaniae octavae; annus intercalaris.
9 — 21	
10 — 22	
11 — 23	
12 — 24	
13 — 25	
14 — 26	
15 — 27	
16 — 28	
17 — 29	

n. 263.

Cum de diebus dubitatio non sit, pauca tamen addere placet de ratione anni. In hoc decreto et proxime sequenti legitur: ἕνηι καὶ νέαι προτέραι = die ultimo priori (n. 389 exstat: — δε]κάτηι προτέραι; vide quae ad hunc titulum adnotavi). Quid hac dictione significatum sit dubium. Annus Leostrati archontis fuit intercalaris, ut adparet ex ceteris titulis eiusdem anni; unaquaeque prytania regnabat 32 dies. Huic diei ἕνηι καὶ νέαι προτέραι respondet prytaniae duodecimae dies XXXI; itaque illam ἕνην καὶ νέαν προτέραν sequebatur unus dies, qui respondebat prytaniae diei XXXII. Concluditur autem ex n. 262, ubi Scirophorionis diei XXI respondet prytaniae d. XXIII, ἕνην καὶ νέαν προτέραν fuisse diem XXIX mensis. En tabulam:

21 — 23	Sequens ille dies XXX fuit ἐμβόλιμος. Etenim ex ratione calendarii Scirophorion continere debebat 29 tantum dies; ipse 29us nominandus erat ἕνη καὶ νέα, dies ultimus. Sed cum necessarium videretur anno unum diem addere eique sedes daretur post diem ultimum, ipse ultimus vocabatur προτέρα, quia ultimus erat ex ratione primaria.
22 — 24	
23 — 25	
24 — 26	
25 — 27	
26 — 28	
27 — 29	
28 — 30	
29 — 31	
30 — 32	

Dies intercalati occurrunt etiam:

n. 175: — — ἕνηι καὶ ν]έαι ἐμβολίμωι

n. 247: *Μουνιχιῶνος ἕνηι καὶ νέαι ἐμβολίμωι*
n. 320b: *Γαμηλιῶνος δευτ[έ]ραι ἐ[μ]βολίμωι, ὀγδόε[ι] μετ' εἰκάδας ἡμερολεγδόν.*
n. 324: *Ἐλαφηβολιῶνος ἕνει καὶ νέαι ἐμ[βολίμωι.*
n. 381: *Μεταγειτνιῶνος ἐνάτ[ηι μετ' εἰκάδας δ]ευτέραι ἐμβολίμωι* (pro *Μεταγειτνιῶνος* suspicatur Koehler: *Βοηδρομιῶνος*).
n. 471 (= 472): *Βοηδρομιῶνος ὀγδόει ἱσταμένου ἐμβολίμωι κατ' ἄρχοντα, κατὰ θεὸν δὲ ἐνάτει ἱσταμένου.*

Videmus igitur sedem certam huic diei neutiquam fuisse, dies mensis autem ita numeratos esse, ut idem numerus bis poneretur, priori loco addito *προτέραι*, altero *ἐμβολίμωι*.

Quomodo autem fieri potuit, ut anno intercalari Athenienses unum diem insuper intercalarent? Nonne hoc modo annus efficiebatur 385 dierum? Effici quidem necesse non erat, si menses cavi et solidi hoc modo dispositi erant: (adscripsi etiam dies prytaniarum respondentes)

Hecatombaeon	29	=	29	prytaniae	I
Metagitnion	30	=	27	"	II
Boëdromion	29	=	24	"	III
Pyanopsion	30	=	22	"	IV
Maemacterion	29	=	19	"	V
Posideon I	30	=	17	"	VI
Posideon II	29	=	14	"	VII
Gamelion	30	=	12	"	VIII
Anthesterion	29	=	9	"	IX
Elaphebolion	30	=	7	"	X
Munichion	29	=	4	"	XI
Thargelion	30	=	2	"	XII
Scirophorion	30	=	32	"	XII

Insequentis autem anni primus mensis rursus erat solidus; cf. Unger in Ber. d. k. bair. Acad. d. W. 1875 II 58.

n. 278.

Versuum longitudo concluditur ex v. 5/6, quorum certa est restitutio. Atque si pari longitudine erant versus, dies

prytaniae in v. 4/5 fuit τετάρ[τηι καὶ δεκάτηι. Koehler, qui lapidem vidit, titulum XII tribuum aetati attribuit, unde mensis aliquo modo definiri potest. Etenim cum dies mensis qui fuit tertiae decadis (— μετ' εἰκάδας) responderet diei prytaniae XIV, annus omni modo fuit intercalaris. Dies autem XIV alicuius prytaniae III decadi alicuius mensis non respondet nisi Pyanopsione, Maemacterione, Posideone (I), Posideone II. Nomen mensis et numerus ante μετ' εἰκάδας continebant 19 litteras; propterea Ποσιδεῶνος δευτέρου (18 litt.) vel Ποσιδεῶνος ὑστέρου (17 litt.) in lapide non fuit, quia spatium non sufficit numero ante μετ' εἰκάδας. Posideon I, qui non appellabatur Ποσιδεὼν πρότερος vel πρῶτος, sed tantum Ποσιδεών (cf. n. 436), aptus non est, quia spatium ante μετ' εἰκάδας amplius est quam quod numero aliquo totum expleatur. Si Maemacterion scribitur, solus aptus est dies XXVI (5 litt. aute μετ' εἰκάδας). Sed huic diei non respondet dies prytaniae (2 . 30 + 2 . 29 + 26 = 60 + 58 + 26 = 144; 4 . 32 + 14 = 128 + 14 = 142). Propterea Maemacterion non fuit in lapide. Restat Pyanopsion, cuius solus aptus est dies XXII (δευτέραι (8 litt.) μετ' εἰκάδας). Atque hic dies consentit cum divisione dierum, si duo menses priores erant cavi (2 . 29 + 30 + 22 = 58 + 30 + 22 = 110; 3 . 32 + 14 = 96 + 14 = 110).

Quodsi versus fuerunt impares, quid exstiterit dici nequit.

n. 280 b.

Quae posui pro certis non vendo; sed formam lapidis et praescriptorum talem fuisse qualem dedi constare puto. Atque quia scriptum erat ἐκκλησία ἐν τῶι θεάτρωι, titulus recentior est quam videtur Koehlero.

n. 299.

Munichionis die XVI celebrata esse Munichia docet A. Mommsen Heortol. 403. Atqui cum duo decreta hoc die facta sint (cf. n. 435), dubia res esse videtur his quidem temporibus. Ceterum de archonte qui dicitur ὕστερον ἄρξας ad-

stipulor Droyseno Gesch. d. Hell. II² pg. 395 et C. Schaefero de scribis senatus populique Ath. pg. 34.

n. 299 b.

Propter *ἀναγραφέως* mentionem Koehler dubitanter hunc titulum ca. ol. 115 exaratum esse suspicatus est; C. Schaefer l. l. pg. 33 certo anno ol. 115,2 (Appollodorus arch.) attribuit. Quod suo iure fecisse videntur. Tamen insunt in hoc de quo agitur titulo, quae recentiorem aetatem testentur. Etenim litteratura eiusmodi est, qualis nunquam occurrit ol. 115, sed saeculo demum III *(I pro P, Ε pro E, O pro Ω)* cf. nn. 317; 318; 320; 437; 438 etc. Gravissimum vero est, quod legitur *ἐκκλησία ἐν τῶι θεάτρωι,* quae formula ante saec. III medium non occurrit. Difficultates ita fortasse solvuntur, ut decretum factum quidem esse putemus ol. 115, lapidi vero incisum saec. III fere exeunte. De decreti argumento tabula undique fracta nihil nos docet.

Inter *Μουνιχιῶνος* et *τῆς πρυτανείας* v. 5. spatium est 13 litterarum, quod continuit numeros dierum mensis et prytaniae. Uterque igitur numerus 5—8 litteris constabat. Atque dies mensis fuit aut *εἰκάδι* (6 litt.), tum dies prytaniae *πέμπτηι, ἑβδόμηι, δεκάτηι* (7 litt.) — aut *εἰκοστῆι* (8 litt.), tum d. pr. fuit *ἕκτηι* (5 litt.). Omni igitur modo fuit Munichionis dies XX. *Εἰκάδι* restituendum esse videtur n. 132, *εἰκοστῆι* n. 303.

n. 302.

Koehler v. 3/4 dubitanter restituit *τῆι δευτέρ]αι,* quod licet spatiis conveniat parum respondet usui numerandi; dies enim secundus solet *δευτέρα ἱσταμένου* dici omisso articulo. Annus Olympiodori, sive is ol. 121,3 sive 121,4 archon fuit, est communis; cf. tab. annorum. Propterea prytaniae decimae diei primo respondere debent aut Elaphebolionis dies 28—30 aut Munichionis dies 1—3. Elaphebolion si scribitur, dies fuisse non potest nisi *ἕνει καὶ νέ]αι* (ceteri enim dies exeunt in — *εἰκάδας*), quod spatiis non convenit. Munichionis autem

dies 2 et 3 scripti non fuerunt, quia deest *ἱσταμένου*. Propterea mensis diem fuisse primum veri simile est, qui tamen quomodo expressus fuerit nescio: *νουμηνίαι* enim spatium 11 litterarum non explet. n. 176 significatio diei primi erat *ε*[. . ?| . . . . .]*ηι* (10 fere litt.).

n. 303.

Koehler restituit *Β*]*ο*[*ηδρομιῶνος εἰκοστ*]*εῖ*: Boëdromionis autem diebus XX et XXI Eleusinia celebrabantur. Atque cum pro *εἰκοστεῖ* vix alius numerus inveniri possit, alius mensis ponendus est. Cum secunda mensis littera sit *ο*, remoto Boëdromione restant *Ποσιδεῶνος* et *Μουνιχιῶνος*. *Ποσιδεῶνος* si ponitur, v. 3 una vel duabus litteris minus habet quam ceteri; idem accidit in v. 2, ubi *ἕκτης πρυτανείας* restituendum esset. Propterea v. 3 restitui *Μ*]*ο*[*υνιχιῶνος εἰκοστ*]*εῖ*, v. 1/2 *δεκάτης πρυτανείας*. Annus igitur Antimachi fuit communis.

n. 306.

Titulus multifariam admittit restitutionem mensis et prytaniae dierum. Adposui autem titulum quo adpareret contionem fuisse *κυρίαν*, annum intercalarem. Nullo enim modo sic restitui potest, ut numeri dierum mensis et prytaniae sint iidem.

n. 307.

De diebus vix dubitari potest. Quomodo autem prytaniae nonae dies XXIX respondere potest Elaphebolionis diei XXI? Annum fuisse communem adparet. Elaphebolionis igitur dies XXI fuit 286us anni, si mensium praecedentium quinque erant cavi, quattuor solidi ($5 . 29 + 4 . 30 + 21 = 145 + 120 + 21 = 286$). Prytaniae nonae autem dies XXIX 285us, si priorum prytaniarum unaquaeque 32 dies habuit ($8 . 32 + 29 = 256 + 29 = 285$). Propterea unam prytaniam habuisse 33 dies necesse fere est (de diebus prytaniarum cf. Boeckh epigr. chronol. St. pg. 75).

n. 309.

Praescripta quidem non exstant, sed insunt quae tempus clare indicent. Est enim formula: *τοὺς δὲ πρυτάνεις, οἳ ἂν τυγχάνωσιν πρυτανεύοντες, δοῦναι τὴν ψῆφον περὶ τῆς δωρεᾶς, ἐπειδὰν ἐπικυρωθῆι, εἰσαγαγεῖν δέ* etc. Quae formula ut recte intellegatur, totius decreti rationem persequi necesse est. Verba quae leguntur sunt probuleumatis; decretum autem esse populi indicatur formula praescripta: *ἔδοξεν τῆι βουλῆι καὶ τῶι δήμωι.*[1] Sed ipsa formula, quam supra adscripsi, variat secundum tempus, quo senatus consultum fiebat.

1) Si senatus consultum ante paenultimam contionem prytaniae factum est, formula usurpatur:

a. *τοὺς δὲ πρυτάνεις δοῦναι περὶ αὐτοῦ τὴν ψῆφον εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν*: nn. 115b; 154; 223; 228; 229; 273b; 288; 300 (populiscitum die XV pryt. IX factum); 318; 320; 397.

b. *τοὺς δὲ πρυτάνεις τῆς δεῖνα πρυτανείας δοῦναι περὶ αὐτοῦ* etc.: nn. 51; 187; 230 (populiscitum die XXI pryt. IV factum); 272.

2) Si senatus consultum ante ultimam contionem novem (X trib. aet.) vel undecim (XII trib. aet.) priorum prytaniarum factum est, formula est:

a. *τοὺς δὲ πρυτάνεις τοὺς μετὰ τὴν δεῖνα πρυτανεύοντας δοῦναι* etc.: nn. 16; 54 frg. b v. 16.

b. *τοὺς δὲ πρυτάνεις τοὺς τὴν ἐπιοῦσαν πρυτανείαν* (vel *εἰσιοῦσαν ἐκκλησίαν) πρυτανεύοντας δοῦναι* etc.: nn. 243; 273.

3) Si senatus consultum ante ultimam contionem prytaniae ultimae factum est, formula est:

τοὺς πρυτάνεις, οἳ ἂν πρῶτον λάχωσιν πρυτανεύειν δοῦναι etc.: n. 312, populiscitum quidem, factum

---

[1] Aliter rem explicat Hartel Demosth. Stud. II. pg. 56 sqq.

prytaniae XII die XXV, i. e. in ultima contione; probuleuma igitur ante hunc diem factum erat.[1]

Dicebatur autem: *τοὺς πρυτάνεις, οἳ ἂν λάχωσιν πρυτανεύειν* ea scilicet de causa, quia, quae tribus prima prytania functura esset, sciri nondum poterat. Atque cum eadem fere formula etiam in hoc de quo agitur decreto occurrat, iure contendere videor etiam hoc decretum factum esse in ultima anni contione. Contio autem in qua suffragia dabantur, fuit prima anni insequentis.

n. 320 b.

Post Gamelionis diem XXVI duo dies intercalati sunt, quorum prior legitime nominandus erat *ἕκτη μετ' εἰκάδας (πρώτη) ἐμβόλιμος*, alter *ἕκτη μετ' εἰκάδας δευτέρα ἐμβόλιμος* ita ut esset prior re vera dies XXVII, alter dies XXVIII Gamelionis *(ἡμερολεγδόν)*. Ratio autem neque ad annum communem neque ad intercalarem recte quadrat. Gamelionis enim dies XXVIII est 205us anni (anno communi; $3 . 30 + 3 . 29 + 28 = 90 + 87 + 28 = 205$); prytaniae septimae dies XXI, licet priorum sex prytaniarum unaquaeque habuerit 30 dies, dies demum 201us ($6 . 30 + 21 = 180 + 21 = 201$): differentia quattuor dierum. Annus autem intercalaris: $3 . 30 + 4 . 29 + 28 = 90 + 116 + 28 = 234$; $6 . 32 + 21 = 213$ nullo modo aptus est. Ratio constat, si *μιᾶι καὶ εἰκοστῆι* scriptum esse credis pro *μιᾶι καὶ τριακοστῆι* hac condicione: $3 . 30 + 3 . 29 + 28 = 90 + 87 + 28 = 205$; $6 . 29 + 31 = 174 + 31 = 205$. Nec tamen audeo cogitare de errore lapicidae.

n. 325.

Κυρία v. 4 recte insertum est, quia si singuli versus essent breviores, primus versus nomen prytaniae non caperet

---

[1] Posteriore tempore brevius dicitur: *δεδόσθαι δὲ αὐτῶι καὶ πολιτείαν δοκιμασθέντι ἐν τῶι δικαστηρίωι κατὰ τοὺς νόμους*: nn. 377; 395; 396; 401; 402; 429. Nunquam autem deest huiusmodi formula; n. 328 enim a Lenormantio fictus esse videtur, certe lapis nusquam adparuit; cf. quibus permotus causis iam Koehler titulum damnaverit. Adde [Dem.] 59, 89.

(cf. etiam ceteros versus inde ab octavo, quos Koehler restituit). Prytaniae eiusque numeri restitutioni spatium datum est 14 litterarum. Quod ita tantum recte se habet, ut Leontis vel Aeantis (9 litt.) sexta (5) prytania functa esse ponatur, aut Aegeis vel Oeneis (8) prima vel tertia vel octava vel nona (6 litt.) Hi igitur menses soli in censum veniunt: si *ἕκτης πρυτανείας* scribitur, Posideon (vel Posideon II a. interc.); si *πρώτης*, Hecatombaeon (vel Metagitnionis dies 1—3 a. interc.); si *τρίτης*, Boëdromion (vel Pyanopsionis dies 1—8 a. interc.); si *ὀγδόης*, Anthesterion (vel Gamelionis dies 18 —30 a. interc.); si *ἐνάτης*, Elaphebolion (vel Anthesterionis dies 20—29 a. interc.). Posteriores quattuor prytaniae omnes reiciendae sunt, quia respondentes mensium dies cum spatiis (28 litt.) nullo modo consentiunt, eademque de causa Posideonem II ponere non licet. Solus igitur aptus est qui ponatur Posideon, dies autem fuit *ἑνδεκάτῃ* aut *δωδεκάτῃ*; prytania Leontis aut Aeantis sexta; annus communis. Qua re confirmatur, quod Koehler iam aliis de causis suspicatus erat, v. 1 nomen archontis non fuisse *Καλλιμήδης*, cuius annus erat intercalaris.

n. 344.

In v. 4 sine dubio *Ἐλ[αφηβολιῶνος* et v. 2 *δ]εκάτης* restituendum est; v. 5 *ἱσταμέν]ου*. Spatium inter *Ἐλαφηβολιῶνος* et *ἱσταμένου* angustius esse non potest 5 litt. (*ἕκτηι* enim numerus brevissimus est) neque amplius 6 litteris, absque quo in v. 2 sedes una vacua relicta esset (*Ἱπποθωντίδος* enim nomen plurimas litteras continet). Demoticon scribae igitur per compendium scriptum erat duabus vel tribus litteris constans. Primae decadi Elaphebolionis mensis respondet anno communi dies 1—10 prytaniae nonae, anno intercalari 11—20 prytaniae nonae. Itaque aut titulus non recte exscriptus est (-*εκάτης* v. 2 pro *ἐνάτης*), quod vix sumendum, aut temporum ratio non fuit solita et ordinaria. Quamquam si cyclus Metonis in usu erat, quonam modo fieri potuerit, ut temporum ratio adeo perturbaretur, iure quaerimus.

n. 345.

Mensis certus est. Spatium inter *Πυανοψιῶνος* et *ἱσταμένου* nec plus continebat octo litteris (*δευτέραι* plurimis litteris constat) neque minus quam septem propter nomen prytaniae. Brevissimum enim nomen prytaniae constat 8 litteris (*Οἰνηίδος, Αἰγηίδος*). Quod si probas, v. 5 spatium relinquetur 7 litterarum. Mensis igitur dies fuit *δευτέραι* (8) aut *πέμπτηι* (7) aut *δεκάτηι* (7) *ἱσταμένου*; *ἑβδόμηι* (7) non fuit: vide ad n. 230.

n. 373.

Mensis dies v. 3 fuit aut *ἕκ[τηι ἱσταμένου* aut *ἕκ[τηι ἐπὶ δέκα* aut *ἕκ[τηι μετ' εἰκάδας*; prytaniae dies cum desinat in — *άτηι*, fuit aut *ἐν]άτηι* aut *δεκ]άτηι* aut secundae decadis — — *καὶ δεκ]άτηι*. Si exstabat *ἕκτηι ἱσταμένου* annusque erat communis, respondebat prytaniae dies 5—7 et versuum longitudo erat 32 litt. Ex v. 4/5 autem adparet longitudinem singulorum versuum fuisse aut 35 litt. (si exstabat: *ἐκκλησία*) aut 40 litt. (si *ἐκκλησία κυρία*). Anno intercalari respondebat Pyanopsionis diei VI prytaniae tertiae dies XXXI, quo longitudo versuum efficitur 42 litterarum. Si exstabat *ἕκτηι ἐπὶ δέκα*, anno communi dies prytaniae erat 15—17, longitudo versuum 40 litt.; anno intercalari d. pryt. erat 9us, longitudo versuum 29 litt. Si exstabat *ἕκτηι μετ' εἰκάδας*, annus communis non fuit, quia dies prytaniae fuisset — *καὶ εἰκοστῆι*, quod obstat v. 4 — *άτηι*; anno intercalari dies prytaniae erat *ἐνάτηι καὶ δεκάτηι*, longitudo 42 litt. — Nulla igitur restitutio tam apta est quam *Πυανοψιῶνος ἕκ[τηι ἐπὶ δέκα, πέμπτηι* (vel *ἑβδόμηι*) *καὶ δεκάτηι τῆς πρ.* In versu primo tum exstabat *τετάρτης*]|*πρυτανείας*; annus erat communis.

n. 381.

In versu 4 restituit Koehler *ἐνάτ[ηι καὶ δεκάτηι δ]ευτέραι ἐμβολί|μωι*; dies autem XIX audit *ἐνάτηι ἐπὶ δέκα*; cf. ad n. 230. Propterea hoc loco scribendum *ἐνάτ[ηι μετ' εἰκάδας*

δ]ευτέραι ἐμβολί[μωι qui est dies XXXI. Id tamen neque ad anni communis neque ad intercalaris rationem quadrat, licet *Μεταγειτνιῶνος* v. 3/4 errore scriptum esse pro *Βοηδρομιῶνος* concedas (ann. comm.: 29 + 30 + 31 = 90; 29 + 30 + 20 = 79; ann. interc.: 29 + 30 + 31 = 90; 2 . 32 + 20 = 84). Temporum igitur ratio iam Ergochare archonte (i. e. intra annos 247—222 vel 222—205 secundum Koehlerum) perturbata fuisse videtur; cf. quae adnotavit Koehler ad n. 408.

n. 382.

Versum octavum non recte intellexisse mihi videtur Koehler. Ego quomodo restituendum esse titulum existimem, indicat apographum. cf. nn. 309; 318; 331; Ἀθήν. VI 135 n. 10; 136 n. 11.

n. 385.

Septimae prytaniae dies undecimus (v. 3) incidere debebat aut in mensem Gamelionem anni communis aut in Posideonem II a. intercalaris. Atque anno intercalari diei XI prytaniae septimae respondebat Posideonis II dies 25—27, ut hoc fere modo scribendum esset: *Ποσιδεῶνος δευτέρου ἕκτηι μετ' εἰκάδας*. Sed cum tali restitutione minime spatia conveniunt versuum ceterorum. Qua de causa annus non est intercalaris, sed communis, atque scribendum: *Γαμηλιῶνος ἑνδεκάτηι* (vel *δωδεκάτηι*).

n. 389.

Versus quot fere litteras comprehenderint — nam neque constanter adcurate *στοιχηδόν* exaratae erant litterae neque versus sub finem pares fuisse videntur —, cognoscitur ex versibus 4, 5, 11, qui certo restituti sunt. Post —]*άτει προτέραι* v. 2 usque ad *τῆς πρυτανείας* spatium est 17—19 litterarum. Numerus quo diem prytaniae expressum fuisse oportet incipiebat ab ε-; verba *εἰκοστεῖ* (8 litt.), *ἕκτει καὶ δεκάτει* (15 litt.), *ἐνάτει καὶ δεκάτει* (16 litt.) spatium non ex-

plent; conveniunt spatiis: ἑβδόμει καὶ δεκάτει (17 litt.), ἑβδόμει καὶ εἰκοστεῖ (18 litt.), ἐνάτει καὶ εἰκοστεῖ (17 litt.). De prytaniae autem die tum demum iudicari potest, ubi exploratum erit et quid significet δεκ]άτει προτέραι et quo mense hoc decretum factum sit.

De δεκάτης προτέρας notione duae sententiae prolatae sunt. Atque Meier (comm. epigr. II p. 111) et Rangabis (Antiq. hell. II p. 982 n. 2303) illum diem esse vicesimum mensis contendunt appellatumque esse δεκάτην προτέραν, quia dies esset πρὸ τῆς δεκάτης ὑστέρας = d. XXI; eoque modo dies prytaniae et mensis optime congruere.

Quibus oblocutus est Boeckh epigr. chronol. St. (1856), p. 88 sqq., qui et diem ante d. XXI recte dici: ἡ προτεραία τῆς δεκάτης ὑστέρας, numquam simpliciter δεκάτη προτέρα dici posse, et diem XX constanter atque legitime audire εἰκάς sive εἰκάδες[1] affirmat, ipse autem diem esse decimum mensis statuit, ut δεκάτη προτέρα dictum sit pro δεκάτη ἱσταμένου et hoc loco et apud Diog. Laërt. X 18, ubi legitur τὴν εἰθισμένην γενέθλιον ἡμέραν (scil. Epicuri) ἑκάστου ἔτους τῇ προτέρᾳ δεκάτῃ τοῦ Γαμηλιῶνος. Hunc enim diem diversum esse a vicesimo mensis die diserte indicari, quia statim additur diebus vicesimis (ταῖς εἰκάσιν) mensis cuiusque conventus discipulorum Epicuri haberi. Plinium autem diem natalem Epicuri cum conventus diebus confudisse (N. H. XXXV 2). Denique Hesychii glossam δεκάτη προτέρα ἡ πρὸ εἰκάδος ὡς ὑστέρα ἡ μετ' εἰκάδα brevitate obscuram ita interpretatur, ut ἡ δεκάτη προτέρα illa sit δεκάτη, quae diem vicesimum antecedit aeque ut ἡ δεκάτη ὑστέρα illa, quae vicesimum diem sequitur diebus scilicet a fine mensis numeratis. Nec vero persuasit Boeckhius A. Mommseno, qui Heortol. p. 335* (cf. Petersen Geb. Feier. p. 310) diem XX intellegendum esse novo argumento probasse sibi videtur vocabulum εἰκάς ratus non usurpatum esse de diebus profanis.

Mihi quidem Meieri rationes recte refutasse videtur

[1] De singularis et pluralis usu cf. quae disputat A. Mommsen Heortol. p. 228.

Boeckh (cf. Koehler in adn. ad n. 389), nec Rangabis argumentum ex diebus adcurate respondentibus petitum magni esse momenti puto, quoniam cuius generis fuerit is de quo agitur annus et num ratio temporum ordinaria fuerit, non constat. Quod vero protulit A. Mommsen de usu vocis *εἰκάς* speciem veri non habet: ipse p. 228* *τῇ* [*εἰκά*]*δ*[*ι* in titulo quodam Ceo CIG II n. 2360 indagasse sibi visus est, eademque notatio coniectura probabili restituta est CIA II1 n. 132. Aliis etiam locis *εἰκάς* vocabulum usurpatur de diebus profanis; cf. Dem. XIX 59. Contra Boeckhii argumenta gravia et probabilia esse concedendum. Quibus aliud addi potest ex Hesiodo petitum; apud quem legitur Opp. v. 785: *οὐδὲ μὲν ἡ πρώτη ἕκτη κούρῃ τε γενέσθαι* — et v. 811: *πρωτίστη δ' εἰνὰς ἀναπήμων ἀνθρώποισιν,* ubi *ἡ πρώτη ἕκτη* et *πρωτίστη εἰνάς* dictum est pro *ἕκτη ἱσταμένου, ἐνάτη ἱσταμένου.* Propterea apud Diog. L. X 18 *δεκάτη προτέρα* dictum esse pro *δεκάτη ἱσταμένου* et discrepantias de die natali Epicuri facile solvi plane persuadet Boeckh.

Inde autem non sequitur etiam in eo de quo agitur titulo restituendum esse *δεκάτῃ προτέρᾳ.* Etenim in lapide non dispiciuntur nisi syllabae -]*άτει προτέραι* quae suppleri possunt *ἐνάτει, δεκάτει, ἑνδεκάτει, δωδεκάτει προτέραι.* Viri docti autem quod statim elegerunt *δεκάτην προτέραν* dierumque ceterorum, quorum copia est, ne mentionem quidem fecerunt, parum caute egisse videntur. Proficiscendum autem est a certa et constanti titulorum dictione neque vero a vulgari hominum privatorum dicendi usu. Atqui vidimus p. 12 omnibus primae decadis diebus addi solere genetivum *ἱσταμένου,* neque ad hunc usque diem inventus est lapis, qui aliam praeberet notationem: ipsa denique notio *δεκάτῃ ἱσταμένου* legitur n. 175 b et 469. Propterea illud supplementum *δεκ*]*άτει προτέραι* ita demum recte agnoscere videmur, nisi alia supplendi copia probabilis datur. Qualis, ni fallor, in promptu est. Nam ad n. 263 significatione *ἡμέρᾳ τῇ δεῖνι προτέρᾳ* diem notari solere vidimus, qui antecedat diem intercalatum. Idem quominus de huius quoque tituli die statuamus nihil impedit, usus vocabuli *προτέρας,* si quidem constans

fuit ut similium notionum, etiam flagitare videtur. Quod si recte conieci, iam qui dies eligendus sit videndum.

Atque cum n. 471 et 472 exstet ὀγδόηι ἱσταμένου ἐμβολίμωι, hoc quoque loco si dies fuisset IX vel X, potius scriptum fuisse ἐνάτει vel δεκάτει ἱσταμένου προτέραι credo. Videtur igitur in lapide fuisse aut ἑνδεκ]άτει aut δωδεκ]άτει προτέραι: ut sequeretur dies intercalatus aut ἑνδεκάτη aut δωδεκάτη ἐμβόλιμος.[1]

Menses autem quorum dies XI vel XII respondeat prytaniae alicuius diebus XVII, XXVII, XXIX (quos dies solos aptos esse per spatia ostendimus) nulli sunt anno communi; anni intercalaris in censum veniunt menses Posideon II, cuius dies XI respondet prytaniae sextae diei XXVII, Gamelion cuius d. XII respondet prytaniae septimae diei XXVII, Thargelion cuius d. XII respondet prytaniae undecimae diei XVII. Iam Ποσιδεῶνος ὑστέρου (δευτέρου) significatio spatia transgreditur: utrum Gamelion an Thargelion exstiterit diiudicari nequit.

Contio num habita sit ἐν τῷ θεάτρῳ an ἐμ Πειραιεῖ (nam contiones ἐν Διονύσου non fuerunt nisi mense Elaphebolione), incertum; cum praesertim de aetate tituli non constet; magis tamen placet ἐν τῶι θεάτρωι. Demoticon v. 5 Συ[βρίδης magis quam Συ[παλήττιος spatiis commendatur.

n. 390.

De mense Posideone altero dubitari non potest, quia prytania septima in Posideonem priorem incidere nullo modo potest. — εκάτηι v. 3 docet diem prytaniae fuisse vel decimum vel unum e sequentibus quinque; nam dies XV (vel XIV) prytaniae septimae respondet Posideonis II diei ultimo. Posideonis igitur dies in censum veniunt XXV—XXX (XXIX); spatiis tantum convenit dies XXVI (ἕκτηι μετ' εἰκάδας, ἑνδεκάτηι τῆς πρ.). 3 . 30 + 3 . 29 + 26 = 90 + 87 + 26 = 203; 6 . 32 + 11 = 192 + 11 = 203.

[1] Quomodo explicandum sit ut anno intercalari dies intercalatus occurrat, v. ad. n. 263.

n. 399.

In v. 5 suppleri potest aut ἐκκλησία ἐν τῶι θεάτρωι aut ἐκκλησία κυρία ἐν τῶι θεάτρωι; κυρία si scribitur, versus primus longior efficitur, quam qui nomini prytaniae capiendo sufficiat. Exstitisse igitur veri simile est ἐκκλησία ἐν τῶι θεάτρωι. Prytaniae nomen tum comprehendebat 9 fere litteras, singuli versus 40—41. Restant 24—25 litterae numeris dierum mensis et prytaniae. Quoscumque autem dies secundae vel tertiae decadis excogitabis, omnes spatium superabunt, veluti brevissima significatio: ἕκτηι ἐπὶ δέκα, ἕκτηι καὶ δεκάτηι (27 litt.): nam δεκάτηι ὑστέραι, εἰκοστῆι, quod per spatia ponere licet, per Eleusinia non licet. Dies igitur mensis fuit primae decadis, veluti πέμπτηι ἱσταμένου, πέμπτηι τῆς πρ.

n. 403.

Lacuna v. 8 secundum spatium optime expletur verbis: ἕκτηι ἐπὶ δέκα aut ἕνηι καὶ νέαι; aliud quod aptius sit vix invenies. Sed quaeritur, quomodo prytaniae sextae dies XVI incidere potuerit in mensem Maemacterionem. Koehler putat: „sine dubio scribam hoc loco illam temporis rationem secutum esse, quae esset κατ' ἄρχοντα.“ Dubitari tamen hoc loco posse censeo. Sextae enim prytaniae dies XVI respondet anno intercalari Posideonis diei ultimo (ἕνηι καὶ νέαι), anno communi Posideonis diei XVI (ἕκτηι ἐπὶ δέκα) i. e. illis ipsis diebus, quos lacunam solos optime explere vidimus. Propterea veri simile est scribam errore ductum Μαιμακτηριῶνος scripsisse pro Ποσιδεῶνος. Similes errores invenies nn. 188 et 381. Utrum autem communis an intercalaris fuerit annus non patet.

n. 430 = 495.

Titulum bis exhibet Koehler et hic et n. 495; στοιχηδόν exaratus non est. Adposui eum, quo intellegatur scriptum fuisse ἐκκλησία κυρία ἐν τῶι θεάτρωι. Cetera exempli tantum gratia explevi. Menses fuisse possunt Maemacterion, Anthesterion, Scirophorion; dies: ἐνάτει ἱσταμένου, ἐνάτει τῆς πρυ-

ταμείας; ἕνει καὶ νέαι, τριακοστεῖ τῆς πρ.; alii non fuerunt. Annus igitur communis; scriba ignotus (Hagnotheus quidam archon invenitur n. 458).

n. 431.

Progrediendum erit ab altero lapidis decreto, cuius vestigia litterarum v. 29 non ἑβδόμηι scribi, sed potius ἐνάτηι μετ' εἰκάδας iubere videntur: nam φθίνοντος, quod coniecit Koehler, iam removi pg. 13 not. Prytaniae dies est sine dubio: τρίτει τῆς πρυτανείας.

In priori decreto prytaniae dies desinit in ε]ἰκοστεῖ; fuisse igitur possunt dies 20—29us; respondent his Boëdromionis dies 17—26us, si tertiae prytaniae erant 29 dies, 16—26us, si 30 dies.

Prius decretum continet laudationem tribus Leontidis. Videndum igitur quibus temporibus cetera decreta eiusdem argumenti fieri solita sint. (Titulos qui huc spectant congessit Koehler Herm. V 231 sq.). Sunt autem prytaniarum laudes decretae

I initio prytaniae nn. 390; 408; 472.

II exeunte prytania nn. 392; 417; 432; 459.

III incerta res est nn. 425; 426; 391; item in fragmentis nn. 329; 393; 394; 440; 441; 457; 487.[1])

---

[1]) Addo praeterea: 1) in praescriptis decretorum in honorem prytanum factorum semper legi: ἔδοξεν τῶι δήμωι, nunquam τῆι βουλῆι καὶ τῶι δήμωι.

2) propterea non magis apparere formulam: τοὺς (δὲ) προέδρους, οἳ ἂν etc.

3) in praescriptis decretorum in honorem quaestorum, scribarum etc., quae semper priora decreta sequuntur, semel inveniri: ἔδοξεν τῆι βουλῆι καὶ τῶι δήμωι n. 454; ceteris locis constanter: ἔδοξεν τῆι βουλῆι. Cf. n. 190. Nam titulus n. 221 genuinus non est.

4) Haec decreta in honorem quaestorum, scribarum etc. semper facta esse primis diebus eius prytaniae, quae subsequebatur eam, cuius ministri illi fuerant.

Atque si exeunte prytania tale decretum factum est, semper ipsa prytania laudatur, quae etiamtum munere fungitur; si initio prytaniae, semper laudatur prytania praecedens. Itaque cum in hoc decreto dies prytaniae desinat in εἰκοστεῖ, adparet et in v. 1 restituendum esse Λεωντίδος et diem contionis, in qua decretum factum est, fuisse unum ex ultimis prytaniae. Atque et spatiis et rei aptissimus est Boëdromionis dies XXVI, prytaniae XXIX (ultimus). His igitur diebus Boëdromionis respondebant dies prytaniae: d. 26 = 29 pryt. III; d. 27 = 1 pryt. IV; d. 29 = 3 pryt. IV. Quam rationem cum nullo modo sit ordinaria, κατ' ἄρχοντα esse suspicor. Significatio contionis plus decem litteris non continebat: suppleri igitur potest ἐμ Πειραιεῖ (cf. 417; 459).

n. 434.

Versus quot fere litteras comprehenderint cognoscitur ex versibus 18–21, qui formulam continent sollemnem: ἀγαθεῖ τύχει δεδόχθαι τεῖ βουλεῖ etc. Atque cum Koehler totam formulam restituere dubitaverit, ipsius autem formulae varietate sola saepissime cognosci possit, cui quisque titulus tempori adscribendus sit, pauca addere de huius formulae usu atque varietate haud abs re videtur.

1) ἐψηφίσθαι τῆι βουλῆι constanter scribitur usque ad ol. fere 115 = 320. cf. nn. 40, 47, 50, 54, 55, 66, 73, 76, 126, 141, 168, 180, 186, 190, 206, 212 (ubi falso Koehler δεδόχθαι). N. 87 δεδόχθαι certum videtur: de tempore decreti non constat.

2) δεδόχθαι τῆι βουλῆι etc. semper scribitur ab ol. fere 119 (a. 304): cf. nn. 231, 252, 253, 254, 287, 315, 316 etc.; idem n. 319 restituendum.

Aliter res se habet in formula ἐψηφίσθαι vel δεδόχθαι τῶι δήμωι; quae formulae promiscue scribuntur eodem tempore; cf. nn. 14, 17, 30, 39, 52, 57, 65, 72 etc. Praeterea verbo moneo ubicunque formula integra: ἐψηφίσθαι vel δεδόχθαι τῆι βουλῆι τοὺς προέδρους, οἳ ἂν λάχωσι etc. occurrat, semper legi ἐψηφίσθαι vel δεδόχθαι τῆι βουλῆι (nunquam

τῶι δήμωι) τοὺς προέδρους etc., quod neglexit aliquotiens Koehler (nn. 348, 359, 386, 421, 440 et Cumanudis Ἀθήν. VI 133 n. 7.

3) οἳ et οἵτινες promiscue usurpantur omnibus temporibus; ὅσοι exstat Ἀθήν. VI 136 n. 11 v. 3; οἵτινες restituendum Ἀθήν. VI 271 n. 4 v. 32.

4) οἳ ἂν τυγχάνωσι προεδρεύοντες legitur usque ad ol. fere 107 = 350; cf. nn. 50, 66, 73, 76, 97; οἳ ἂν τύχωσι προεδρεύοντες in lege apud Dem. 24, 21, in titulis nunquam.

5) οἳ ἂν λάχωσι (et λάχωσιν) προεδρεύειν promiscue cum praecedenti formula inde ab ol. 107—112 fere (350—330). cf. nn. 52c, 54, 87, 141, 168, Ἀθήν. VI 152, sola deinde usque ad saec. III medium; cf. 382, 386, 388, 397, 409. Οἳ ἂν προεδρεύωσι est 115b, 273b, 316; n. 107 supplevit Koehler: [οἵτινες προεδρεύουσι ἐν τῶ]ι δήμωι.

6) τοὺς λαχόντας προέδρους promiscue cum praecedenti tertio saeculo usque ad saec. II; cf. nn. 334, 341, 380, 383, 387 etc.; sola deinde constanter: n. 401 etc. Quae formula sub finem saec. II et saeculo I saepius indicatur tantum, non tota perscribitur; cf. nn. 466_{39}; 467_{45}; 467_{96}.

7) εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν sola dictio est usque ad ol. fere 118 = 306; deinde promiscue cum sequenti; cf. nn. 252, 253, 254, 320, 325, 359.

8) εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν sola usurpatur inde a medio saec. III cf. n. 335 etc. In oratoris verbis ea formula exstat [Dem.] 59, 89.[1]

Iam redeamus ad titulum, de quo agitur. Adparet scribendum esse: ἀγαθεῖ τ]ύχει δεδόχθαι τ[εῖ βουλεῖ τοὺς λαχόντας προέδρους εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκ]κλησίαν χρηματίσαι περὶ

---

[1] De his formulis earumque vi ac pondere nuper copiosissime et scitissime egit Hartelius ‚Studien über attisches Staatsrecht' p. 59 etc., 167 etc.

τούτων, γνώμην δὲ ξυμβάλλεσθαι τῆς βουλῆ]ς εἰς τὸν δῆμ[ον, ὅτι δοκεῖ τεῖ βουλεῖ etc. Singuli versus continebant 56 fere litteras. Notandum tamen nec litteras στοιχηδόν esse dispositas et versus impari longitudine esse potuisse. Post ἐκκλησία (v. 3) usque ad τῶν προέδρων (v. 4) spatium est 36 fere litterarum, quod solitis formulis expleri nequit. Propterea contionem fuisse extraordinarium veri simile est. Atque cum saec. II semper contioni addatur significatio loci, etiam hic post ἐκκλησία scriptum fuisse aut ἐν τῶι θεάτρωι aut ἐμ Πειραιεῖ conicimus; σύγκλητος autem exaratum non fuisse putandum est, quo recepto spatia non sufficerent ad nomen rogatoris recipiendum; cf. n. 389.

Post Μουν[ιχιῶνος (v. 2) usque ad τῆς πρυτανείας (v. 3) spatium exstat 34 fere litterarum, quod explendum est numeris dierum mensis et prytaniae. Longissima tantum vocabula apta sunt veluti πέμπτει μετ' εἰκάδας, πέμπτει καὶ εἰκοστεῖ (35 litt.) vel similia: certi quicquam de diebus statui nequit.

n. 435.

Cum certa sit lectio ἐκκλησία κυρία ἐν τῶι θεάτρωι, quaeritur tantum quo mense habita sit contio. Adparet fuisse Munichionem. Illud N enim in v. 4 medio Fourmont aut qui eum exscripsit, non prorsus recte posuisse videtur; ponendum esse puto in sede proxime sequenti. Mensis enim, cuius tertia littera sit N, nullus est. Scribendum igitur [Μου]ν[ιχ]ιῶ[νος]. Dies fuit vel ἕ[κ]τει [ἐπὶ] δ[έκα (ita Boeckh) vel ἐ(ν)άτει [ἐπὶ] δ[έκα. Prytaniae dies fuit idem fere: [ἕκτει] vel [ἐνάτει] καὶ δεκάτει. Annus igitur communis.

n. 436.

Dies prytaniae sine dubio fuit ἐ[νάτῃι. Dies enim XXII Posideonis fuit 169[us] totius anni, si duo menses erant solidi, tres cavi (2 . 30 + 3 . 29 + 22 = 60 + 87 + 22 = 169); prytaniae sextae autem dies IX ipse quoque dies 169[us] anno intercalari (5 . 32 + 9 = 169). Hi igitur menses fuerunt cavi et solidi: 29, 30, 29, 30, 29, 30, 29, 30, 29, 30, 29, 30,

29 = 383. Propterea necesse erat unum cavum mensem solidum efficere, ut dies intercalatus sit; cf. 263, 389. Adparet etiam ex hoc titulo Posideonem I anno intercalari non vocatum esse *Ποσιδεῶνα πρότερον* vel *πρῶτον*, sed simpliciter *Ποσιδεῶνα*.

n. 437.

Longitudo versuum elucet ex certa restitutione v. 5/6: *ἐκκλησία* [*ἐν τῶι θεάτρωι· τῶν*] *προ*[*έ*]*δρων* etc. (32 fere litt.). Unde adparet mensis nomini relicta esse spatia non plus decem, quae explentur voce *Ποσιδεῶνος* vel *Γαμηλιῶνος*.

n. 477.

Rettuli titulum, quo adpareret scriptum fuisse *ἐκκλησία κυρία ἐν τῶι θεάτρωι*; cetera incerta.

n. 492.

Quot litteras singuli versus continuerint cognoscitur ex versibus 7/8 et 8/9. Sequitur inde contionem fuisse *κυρίαν*; mensem fuisse oportet Maemacterionem, nam v. 5/6 propter spatium nisi [*ἑ*|*νδεκάτηι*] vel [*δ*|*ωδεκάτηι*] restitui nequit. Prytaniae autem alicuius dies XI vel XII decem tribuum aetate[1] respondere undecimo diei mensis alicuius ea condicione tantum potest, si mensis fuit Hecatombaeon aut Maemacterion anno intercalari (2 . 30 + 2 . 29 + 11 = 60 + 58 + 11 = 129; 3 . 39 + 12 = 117 + 12 = 129) aut Gamelion anno communi (3 . 30 + 3 . 29 + 11 = 90 + 87 + 11 = 188; 3 . 35 + 2 . 36 + 11 = 105 + 72 + 11 = 188) aut Elaphebolion anno intercalari (5 . 30 + 4 . 29 + 11 = 150

[1] Huius aetatis fuisse titulum docet formula: *τῶν προέδρων ἐπεψήφιζεν ὁ δεῖνα*, cui nondum additum est *καὶ συμπρόεδροι*, quod additamentum post ol. 115,1 = 320/19 usu venit. Deest etiam patronymicon eius, qui populum in suffragia mittebat, quod semper omittitur ante ol. 116,3 = 314/3; cf. nn. 231, 236, 237, 238, 244, 245 etc. et 186, 188, 190, 191. [Nam n. 230 paullo recentior est quam statuit Koehler].

+ 116 + 11 = 277; 7 . 38 + 11 = 266 + 11 = 277). *Γαμηλιῶνος* scribi non potest, quia 4 spatia vacua relinquerentur; si *Ἑκατομβαιῶνος* aut *Ἐλαφηβολιῶνος* scribitur, unius litterae spatium vacuum manet. Propterea *Μαιμακτηριῶνος* scribendum est, quod versum adcurate explet. Dies prytaniae tum notabatur *δωδεκάτηι*. Titulus ol. 112,1 = 332/1 antiquior non est propter contionis significationem additam (cf. pg. 3). Inter 112,1 et 115,2 anni intercalares titulis comprobati sunt 112,3 = 330/39 nn. 176, 177 (arch. Aristophon); 114,3 = 322/1 nn. 185, 186, 188 (arch. Philocles); 115,1 = 320/19 n. 191 (arch. Neaechmus). Ad hos igitur non pertinet titulus de quo agitur. Inter annos 112,3 et 114,3, quorum finibus continetur, duo anni fuerunt intercalares, probabiliter 113,1 = 328/7 et 113,3 = 326/5; ad quorum alterum utrum revocandus est. Vide tab. annorum et n. 180; *Ἀθήν.* VI 134/5 p. seq.

n. 493.

In restituendo titulo tuto proficiscimur a versibus 5/6 et 6/7; ibi *ὀγδόει καὶ ε[ἰκοστεῖ* certum est; nam *τριακοστεῖ* scribi non potest, quia tum v. 7 duarum litterarum spatia vacua essent; *ὀγδόει καὶ δεκάτει* scribi et fragmentum ultimae litterae vetat (I, non *Ι*) et eadem spatia, quia tum unius litterae v. 6 locus esset vacuus. Continent igitur versus singuli 29 litteras. Iam demoticon scribae *Δι]ομειεύς* me adduxit, ut restituerem nomen archontis [*Ἀναξικράτους*] eiusque scribae *Λυσίας Ποθείνου Δι]ομειεύς*; cf. 320 b; 238 b. Quod si probabile est, decretum factum est ol. 125,2 = 279/8. Lapicidae autem errore excidisse dies mensis putandus est, ea scilicet de causa, quia ille, cum scribere deberet *ὀγδόει ἱσταμένου* (vel *ἐπὶ δέκα* vel *μετ' εἰκάδας*: neque enim de ratione huius anni constat; cf. 320 b) *ὀγδόει καὶ* ..., aberravit a priori *ὀγδόει* ad alterum (similia vid. nn. 181; 477 b). Mensis nomen continebat 11 litteras: quot litteris constant *Πυανοψιῶνος, Μουνιχιῶνος, Θαργηλιῶνος*. Ol. 125,2 secundum Metonem erat intercalaris. Si igitur *Μουνιχιῶνος* scribas, prytania est *ἑνδεκάτη*,

si *Θαργηλιῶνος, δωδεκάτῃ*; quos numeros si in v. 2 recipis, nomini prytaniae locus non est. Propterea removendi esse videntur scribendumque *Πυανοψιῶνος*. Sed cum temporis rationem ol. 125,2 perturbatam fuisse titulus n. 320b ostendat, satius erit de mensis die utrum fuerit VIII an XVIII an XXVIII, nihil audacius affirmare.

n. 495 = 430.

Vide supra pg. 31.

His titulis corp. inscr. Att. absolutis breviter tangam nonnullas earum inscriptionum, quas post editum vol. II CIA publici iuris fecit Cumanudis. Quamquam adcuratius eas pertractare et in integrum restituere plerumque non licet, quia litteris tantum minusculis quae dicuntur editae sunt, quare nisi forte quid diserte monuit editor, qualis fuerit forma habitusque lapidum intellegi non potest. Propterea ea tantum enoto quae et necessario pertinent ad quaestionem nostram et omnino mentione digna videntur.

Ἀθήν. V 522 n. 6.

Hagnotheus archon legitur CIA II1 n. 458, qui titulus spectat ad saec. II medium. Ad idem fere tempus alter titulus revocandus est, cum exstet in v. 2 *ἐν Πειραιεῖ* (vide pg. 4 et 10): ut ad eundem annum utrumque pertinere veri simile sit. Praeterea memorari adtinet hoc loco solo legi *ἐν Πειραιεῖ* pro *ἐμ Πειραιεῖ*.

Ἀθήν. VI 134/5.

Titulus quia symproedri nondum nominantur ol. 115,2 antiquior habendus est. Idem cum iam addita sit significatio contionis v. 5/6 *ἐκκλησία*, recentior est ol. 112,1. Non pertinet ad ol. 112,1 (arch. Nicetas); 112,2 (Aristophanes); 112,3 (Aristophon); 112,4 (Cephisophon); 113,4 (Anticles); 114,2 (Cephisodorus); 114,3 (Philocles); 115,1 (Neaechmus), ut qui ad hos annos pertinent tituli (nn. 173—191), docent.

Restant igitur anni ol. 113,1 (Euthycritus); 113,2 (Hegemon); 113,3 (Chremes); 114,1 (Hegesias); 114,4 (Archippus). Per spatia non videtur licere scribere nisi *ἐπ' Εὐθυκρίτου*, si quidem litterae adcurate *στοιχηδόν* erant exaratae. In v. 2/3 restituit Cumanudis *ὀγ[δόης πρυτανείας*; in v. 4/5 *Γ[αμηλιῶνος, ἕκτ]ηι τῆς πρ.* Quomodo autem prytaniae octavae dies VI potuit respondere Gamelionis diei ultimo? Anno communi respondebat Gamelionis diei XXX prytaniae sextae dies fere 32us (3 . 30 + 3 . 29 + 30 = 90 + 87 + 30 = 207; 5 . 35 + 32 = 175 + 32 = 207); anno intercalari prytaniae septimae dies fere 8us (4 . 30 + 3 . 29 + 29 = 120 + 87 + 29 = 236 vel 3 . 30 + 4 . 29 + 30 = 90 + 116 + 30 = 236; 6 . 38 + 8 = 228 + 8 = 236). Atque si v. 4/5 re vera *Γ[αμηλιῶνος* restituendum est, dies prytaniae non fuit sextus — *ἕκτ]ηι* enim cum spatiis non convenit — sed octavus (*ὀγδό]ηι*). Nisi igitur error latet, explicare titulum non possumus. Si vero *ὀγδόης* (v. 2/3) errore scriptum est pro *ἑβδόμης*, annus fuit intercalaris. Atque cum inter ol. 113,1 et 114,1 duo anni sint intercalares, ad unum hic titulus, ad alterum n. 492 revocandus est. Ad unum ex his duobus annis intercalaribus pertinet etiam n. 180. Atque cum scribae nomen n. 180, omisso patronymico, totidem litteras comprehenderit atque scribae huius de quo agitur tituli, haec duo decreta ad eundem annum quadrare censeo. Ordo autem annorum intercalarium licet incertus sit hic fuisse potest:

annus cycli	anni genus.				olymp.	archontes.
8	B	B	B	B	112,3	Aristophon
9	A	A	A	A	4	Cephisophon
10	a	b	a	b	113,1	Euthycritus
11	b	a	a	a	2	Hegemon
12	a	b	b	a	3	Chremes
13	A	A	A	A	4	Anticles
14	b	a	b	b	114,1	Hegesias
15	A	A	A	A	2	Cephisodorus.

A = annus communis, B = annus intercalaris titulis comprobati (vide tab. annorum).

Ἀθήν. VI 152.[1]

Decretum, quod continet lapis, factum est archonte Themistocle ol. 108,2 = 347/6, Aegeïde octava prytania. Durabat prytania VIII anno communi inde ab Elaphebolionis die fere X usque ad Munichionis diem fere XIV (vel XVIII), anno intercalari inde ab Elaphebolionis die fere I usque ad Munichionis diem VIII (vel XII). Tempus adcuratius definitur v. 55/6: *τοὺς προέδρους, οἳ ἂν λάχωσι προεδρεύειν ἐν τῶι δήμωι τῆι ὀγδόηι ἐπὶ δέκα* etc. Sine dubio intellegendus est dies XVIII Elaphebolionis, quo die ut contio haberetur Demosthenes rogaverat (vide Aesch. II 61). Contio igitur, in qua hoc decretum factum est, fuit ea, quae proxime praecedebat illam contionem die XVIII habitam. Die XVII habita est contio *ἐν Διονύσου* (Aesch. II 61. Schäfer Demosth. II p. 90). Hanc contionem praecedebant dies festi Dionysiorum, quibus contionem habitam esse vix verisimile. Die VIII Elaphebolionis erat contio extraordinaria rogante Demosthene (Aesch. III 67). Itaque hoc die et hoc decretum factum esse puto et illud, quod exstat CIA II 1 n. 109. Contio ordinaria, in qua Demosthenes rogaverat, ut die VIII Elaphebolionis contio extraordinaria haberetur, fuit fortasse Elaphebolionis die V; cf. n. 300. Contiones igitur quae habebantur ol. 108,2 mense Elaphebolione fuisse videntur hae:

(V.) contio ordinaria: in qua rogavit Demosthenes, ut die VIII contio extraordinaria haberetur.

VIII. contio extraordinaria: in qua et Demosthenes rogavit ut diebus XVIII et XIX contiones haberentur (Aesch. II 61; III 67), et actum est de renovando foedere cum Mytilenaeis (n. 109) deque honoribus pro filiis Leuconis. Ἀθήν. VI 152.

XVII. *ἐκκλησία ἐν Διονύσου.* Aesch. II 61. III 68.

XVIII. contio extraordinaria: Ἀθήν. VI 152 v. 55. Aesch. l. l.

---

[1] De hoc titulo nuper docte egit A. Schäferus in Mus. rhen. XXXIII p. 418 ff.

XIX. contio extraordinaria: in qua actum est de pace Philocratea (Aesch. III 68).
XXV. contio: in qua de Cersoblepte actum est (Aesch. III 73; Dem. 19, 58).

Ceterum Themistoclis annus fuit intercalaris (Boeckh Mondcycl. p. 27); cf. Euthycriti annus, qui idem est cycli.

Ἀθήν. VI 271 n. 3.

Mensis sine dubio erat Hecatombaeon, quia prytania erat prima (*πρώτης* v. 2). De contionis significatione vide infra.

Ἀθήν. VI 386 n. 3.

Latet fortasse ratio *κατ' ἄρχοντα* et *κατὰ θεόν*, quantum quidem ex reliquiis v. 2 adparet.

Ἀθήν. VI 386 n. 4.

Titulum ad eundem annum pertinere atque CIA II 1 n. 252b manifestum est. Mensis fuit Metagitnion, ut docet v. 1/2 *δευ[τ]έρας πρυτανείας*; annus communis; dies prytaniae XXI. Cetera vide ad n. 252b.

Ἀθήν. VI 387 n. 6.

Archontes noti, de quibus cogitari possit, sunt *Διότιμος* nn. 311, 312, 313 (scriba *Λυσίστρατος Ἀριστομάχου Παιανιεύς*), quem restituere spatia quidem non vetant; *Πειθίδημος* n. 332; *Θεόφημος* n. 373. Quamquam nescio an alius fuerit archon adhuc ignotus. Prytaniae dies scriptus non erat.

Reliqua propediem edentur in Dissertationum Argentoratensium vol. III.